





I: SECUDUS.
poemata.
CUR:
P: SCRIVERIO.
456
F
14












Simon ab Hoorn
amstelodamensis
comm. 1678

Dono dedit
W. Blank M. Cand.
in perpetuam amicitiae tesseram

30 Junii CIↃCCCCII.



IOANNIS SECVNDI HAGIENSIS,

Poetæ elegantissimi,

OPERA QVÆ REPERIRI POTVERVNT OMNIA.

Curante atque edente

PETRO SCRIVERIO.





LVGDVNI BATAVORVM,
Typis IACOBI MARCI.
CIƆ IƆ C XIX.

C. PLINIVS SECVNDVS

Epistolâ ad Vespasianum

CÆSAREM.

Magna pars, studiorum amœnitates quærimus.

6 [illegible]

Ad Illustrem V.

IACOBVM DIICKIVM,

Salneccæ, &c. Dn.

Sereniss. SVECORVM *Regi &c. à Consilijs, & ad Illustriß.* ORDINES *federatæ Belgicæ* LEGATVM AVGVSTALEM,

Musarum Gratiarumque ocellum, Dominum & amicum suum,

P. SCRIVERIVS.

DIICKI *maximè, si vacas haberi,*
Nec totum Sueones tui requirunt,
Paulùm depositâ severitate
Nostris otia commoda Camœnis;
Quò Phœbus vocat, & novem Sorores,
Quondam numina culta, cùm sodaleis
Romanis numeris in astra ferres.
Cùm primos Pueri potentis arcus,
Et jactas Veneris per ossa flammas

Signares lepidis Poëta chartis.
Unde & nunc Veneres, Cupidinesque,
Et Ioci faciles, Lubentiæque,
Sic circumvolitant tuos penates.
Non certè tua genua frigus ullum
Percussit, neque tædium puellæ.
Quamvis pars melior peracta vitæ est,
Et Natalitio Deo parantur
Quinquagesima liba: sancta nondum
Te suo Venus arcet à sacello:
Et cæcis Amor hæret in medullis,
Qui torret iecur, intimásque fibras;
Non Lethæus Amor, perosus igneis,
Immergens gelidis facem sub undis.
Non hæc limina Dyckius frequentat,
Non has potat aquas satur leporum;
Non oblivia pristini caloris
Has optat miser obsecratque ad aras:
Antiquæ memor est tenaxque flammæ:
Et tam diu vacuo toro cubanti
Dolet magnanimum perire pectus.

En quantâ iacet æstuatque in Ætnâ,
Votisque omnibus ardet in puellam!
Sed curæ prohibent, molestiæque;
Nec munus patitur vacare ludo,
Quem blando pede suscitat Cupido,
Coritum quatiens, facemque vibrans.
Quid Dycki generose, quid moraris?
Pugnabis'ne Deo? tuasque vireis
Pares viribus illius putabis?
Fugit te ratio, nihilque nosti.
Te, toto licèt impetu labores,
Levi prosubiget Cupido nisu.
Quare huc respice. doctor hîc Cupido est,
Allucetque facem; Venusque mater
Totum hîc explicat excutitque cestum.
Arcano nequit hoc carere loro
Primis quisquis amans calet sub annis.
Qui student dominis suis placere,
Illis arte opus est, opusque technis.
Et doctos, opus est, ament Poëtas;
Illos de Veneris scholâ Poëtas.

Est sollers genus, & vetus leporum;
Queis sexcenta domi perita verba,
Quæ duram citò molliant puellam,
Et zonam solŭant diu ligatam.
Quemviscunque teret Poëta fastum.
Inprimis juvat hic Poëta nostras.
Nam non nunc Hyperionis sub ora
Priscis eruo conditos tenebris:
Non igneis Ovidî sacros Corinnæ;
Gaudentemve foco suo Tibullum:
Non hîc Callimachus legetur Vmber;
Non salsis Epigrammatum libellis
Toto notus in orbe Martialis:
Sed qui nec minor his, minor nec illis,
Et si non prior, omnibus secundus,
Tuus Iulia Ianus, & Neæræ:
Nostræ deliciæ tener Secundus,
Sidus Haga tuum, Batava Siren.
Quis nunc Bilbilico lepore mendax
Aurem Cattigenæ exprobret Batavam?
Nempe hoc dedecus omne, & omne nomen

Versu

IAC. DIICKIVM, LEG.

Versu eluserit unico Secundus.
Quem si terseris aure diligenti,
Facem, quam tibi ventilat Cupido,
Abscondet penitis heræ medullis,
Quam Iuno beat, & beat Minerva,
Cui formam Venus ipsa non negavit;
Quis prior tibi, quisve tunc secundus,
Dycki maxime, si vacas haberi?

LEGENDO ET SCRIBENDO
1618.

Series librorum.

ELEGIARVM LIBRI TRES.
BASIORVM LIBER VNVS.
EPIGRAMMATVM LIBER VNVS.
ODARVM LIBER VNVS.
EPISTOLARVM LIBRI DVO, *carmine.*
FVNERVM LIBER VNVS.
SYLVARVM LIBER VNVS.
FRAGMENTA CARMINVM.
EPISTOLARVM RELIQVIÆ, *soluta oratione.*

Præter alia, quæ huic Editioni accedunt, habes hîc studiose Lector etiam illa quæ in Editione omnium primâ, quam Hermannus Borculous anno M D XLI. Trajecti Batavorum excudebat, studio prætermissa sunt, quòd in Principes quosdam acerbiùs dicta viderentur: Quæ quoque in Editionibus Parisinis, & Germanicis desiderantur. Fruere ijs nunc tandem: &, si uterque placuimus, fave.

DE

IO. SECVNDO
Iudicia & Testimonia.

SEPVLCHRI TITVLVS,

olim Tornaci in D. Amandi.

IOanni Secundo Hagiensi Batavo, I.C.to, Oratori, ac Poëtæ clarissimo; fingendi quoque ac sculpendi laudatissimo artifici: qui primùm in Hispanijs Ioanni Taveræ, Toletano Cardinali; deinde in Patriâ Illustri Georgio ab Egmonda, Traiectensi Præsuli, & huius loci Primati, ab Epistolis & Secretis fuit: postremò ab Carolo V. Imp. Aug. accersitus, ut eandem deinceps apud se functionem obiret, immaturâ nimiùm morte rapto, Mater, Fratres, ac Sorores tristissimi desiderij Monumentum posuerunt.

VIXIT AN. IIII & XX. MENS. X. DIES X.

Obijt anno ab restitutâ Salute M. D. XXXVI. VII *Calend. Octob.*

De Ioan. Secundo
EPITAPHIUM,
HADRIANO IUNIO
auctore.

Fige pedem stabilem, res exigit æqua, Viator,
Et lege quod numeris parva tabella canit.
Hic iaceo ante diem fatis extinctus iniquis,
Exemplum quàm sit prima iuventa fugax.
Nondum ierant anni quinâ mihi pemptade pleni,
Mollia flos barbæ tinxerat ora tener.
Nempe Secundus eram non fausto nomine clarus,
Orbi quem invidit Parca secunda parum.
Post varias curas, desudatosque labores,
Sperabam Nemesi commodiore frui:
Cùm Tarthessiacos, Augusti signa secutus,
Accessi fines, Ausoniamque simul.
Hinc patriæ reducem excepit Rhamnusia pellax,
Supremum & dixit tetrica Parca diem.
Est mihi adhuc super & vitali pascitur aurâ
Fratrum dulce iugum, quos dedit una parens.
Quippe gregem triplicem nodus sociaverat unus,
Gratia quòd numerum hunc iure triformis amat.
Dissimiles uno, facilis quòd parcet eisdem
Parca diu, patriæ ut sint decora alta suæ.

Ex ineditis Iunij Poëmatis.

IDEM

IDEM IVNIVS
in Batavia.

EXtulit Haga sylvam felicium & Poësi natorum ingeniorum. Inter cætera Sasbotos quis non novit? &c. Dedit eadem felicissimum & ab ipsis Musis effictum ingenium Ioannis Secundi; cuius in Poëmatijs omnes Veneres & elegantiæ Catullianæ renident. qui, si par contigisset à Fatis ætas, Vmbrum vatem in Elegijs longo post se intervallo reliquisset. Cuius BASIA vivent, dum basijs amantium ora patebunt. Cuius in exprimendis per * ectypas imagines vultibus elegantiam, & lineamentorum subtilitatem, cum nostrâ mirabitur, sed non satis explebit se, postera Ætas.

* *Ipse passim in Poematis & non obscurè in Epistola ad Scorellium, quam ex autographo ipsius Secundi infra exhibemus, suum fingendi pingendique studium, & sculpendi usum palam facit. Quæ (suadeo) videant omnes Poetæ nostri & illarum artium studiosi.*

PETRVS NANNIVS.

NOn omittendus est Ioannes Secundus, vir amœnissimi ingenij & stili; & quamvis adolescens, facilè tamen inter scriptores sui ævi principatum in Elegiaco carmine tuetur.

LILIVS GREG. GYRALDVS.
In Historiâ Poëtar. nostr. temp.
Dialog. II.

FVit & Ioannes Secundus Hagiensis, cuius extant BASIA, quæ ab omnibus ita leguntur, ut basijs affici videantur. In quæ Basia Alciatus eleganter carmine lusit.

Extremum si post tot dulcia basia finem
Neæra concessit tibi,
Quin illum potiùs celebras? noctéisq; beatas
Ad alta tollis sidera?

Si non concessit, & adhuc tua messis in herba est,
Quo tot cataglottismata?
O segnem Veneris tironem, & perdere dignum
Quæ iam recepit præmia?

Scripsit præterea ELEGIARVM libros tres, FVNERVM unum, EPIGRAMMATA, EPISTOLAS, ODAS, SILVAS. Audio & hunc scripsisse alia nonnulla, quæ eâ ratione non sunt edita quòd in Principes quosdam acerbiùs dicta viderentur. Habuit hic & duos alios fratres [Nicolaum Grudium & Hadrianum Marium, Nicolaïos] qui non sunt à Musis alieni, Iuris scientià insignes, quamvis & Cæsaris negotia apud Belgas agant. Perijt Ioannes in suæ ætatis flore, xxv enim annum non excessit. de quo si plura quæritis, legitote Epicedium quod in eius funere Hadrianus Marius eius frater composuit. Leguntur & eius alia pleraque. inter quæ & Epitaphium illud Thomæ Mori.

HOSPES. *Quis iacet hic truncus? cuius caput ense recisum est?*
Quæ natat in tetro sanguine canicies?
CIVIS. *Hic ille est Thomas Morus: sic Fata rependunt*
Tristia multa bonis, & bona multa malis.
HOSP. *Quæ circumsistunt Divæ lugubre cadaver?*
CIV. *Diva tenax Veri, sancta Fides, Nemesis.*
Quarum prima fuit causa, & fuit altera, mortis:
Vltrix iniustæ tertia cædis erit.

HACTENVS GYRALDVS. *Apud quem pessimè interpunctum est Epigrammatis huius primum distichon, nullo idoneo sensu, ad hunc videlicet modum:*

Quis iacet hic? truncus, cuius caput ense recisum est.
Quæ natat in tetro sanguine? Canicies.

Rectè à nobis in Funerum libro editum quidem hoc distichon; sed peccatum post operarâ incuriâ in notis H. & C Hospitis *inquam &* Civis. *quæ motæ paululum à sede suâ multum venustatis Epigrammati detraxunt. Emendetur itaque ad hoc exemplum typothetarum exiguum sed magni ponderis vitium.*

I v

IVLIVS CAESAR SCALIGER.

Cave cave Canem.

MOllia tam blando ſpirant quæ murmure: quæ tam
Dulcia nectareo Baſia picta ſono:
Sidereæ Veneris puto defluxiſſe labellis.
Tam lepida ex alio non potuëre loco.
Cætera mellito languent defecta veneno:
Nec decus eximiæ ſuſtinuëre notæ.
Ergóne divina hæc Veneris, plebeia mariti,
Tam diverſa uno ſic coïere choro?

Baſiis mirum in modum affici Heroem, cæteris inſuperhabitis, quid miramur, aut indignamur? Non omnia eius iudicia recta aut incorrupta.

---Quandoque bonus dormitat Homerus.

THEODORVS BEZA.

EXcelſum ſeu condit Epos, magniq́ Maronis
Luminibus officere ſtudet:
Sive leveis Elegos alternaq́ carmina, raptus
Naſonis impetu, canit:
Sive Lyram variis ſic aptat cantibus, ut ſe
Victum erubeſcat Pindarus:
Sive iocos blandoſq́ ſaleis Epigrammate miſcet,
Clarâ invidente Bilbili:
Vnus quattuor hæc ſic præſtitit ille Secundus,
Secundus ut ſit nemini.

IACOBVS MARCHANTIVS.

Dum magnis animis & apparatu
In laudes rapior tuas, Secunde:
Rogabat Cytherea iuncta Phœbo,
Irrisura superfluum laborem,
Ecquis vituperat meum Poëtam?

GVILIELMVS CRIPIVS,

Ad Lectorem.

Dum parat varias vices Amoris,
Et suos gemitus, suosque risus,
Suas delicias, suosque luctus
Versu scribere sedulus Latino,
Scribenti Venus adstitit Secundo,
Atque istum præeunte verba Nato
Dictavit lepidum aureumque librum.
Quem si tu temerarius reprendis,
Lector, numina nec times Deorum,
Non impune tibi, proterve, abibit.
Extorrem Venus esse te Cythera,
Et Papho iubet exulare, & Ida:
Vtque inter, sine Gratijs, venustas
Contemptissimus ambules puellas.
Et si hæc pœna tibi levis videtur,
Maiorem Veneris puer reposcet.

IANVS DOVSA V.N.

Cedite cum priſcis quantum eſt hoc tempore Vatum:
Mihi Secundus unus inſtar omnium eſt.

DANIEL HEINSIVS IANO LERNVTIO.

Ille eſt, cuius tu tantopere ingeniũ laudare ſoles, Ianus Secundus; ille, cuius *Baſia*, vt noſti, parte quinta eius nectaris Dione imbuit, quo Deorum mentes invitare ad lepores & hilaritatem ſolet. Vt omittam reliqua illius, ac præſertim *Elegias*; illas ſuaves, illas lepidas, atque elegantes. Quam facetus atque expeditus in familiari genere dicendi fuerit; quam verſute ac callide multa notaverit, quantoque iudicio oppida non pauca atque vrbes perreptarit; *Itinera* eius facile oſtendunt. Dicas, niſi quà ſolutus plane pedibus eſt ſermo, aliquid Lucilij aut Horatij, quorum vterque idem argumentum Satyræ aptavit, in his ſpirare.



T*Alis Iöannes oculis eram & ore Secundus,*
Festinans quintam claudere Olympiadem;
Prævenit cita mors. at, docti dextra Scorelli
Quam dederat, vitam lædere non potuit.

Hadr. Marius, frater.

AD SECVNDVM.

Quis te pingere dignior ? Scorellus.

AD SCORELLVM.

Quis pingi tibi dignior ? Secundus.

Nicolaus Grudius, frater.

TESTIMONIA.

In effigiem Ioannis Secundi Nicolaij, Hagiensis, Poetæ unici, ab eximio Pictore Ioanne Scorello graphicè atque ad vivum penicillo expressam:

IANI DOVSÆ NORDOVICIS

Iambi puri.

TABELLA cuius ista fert imaginem?
Quid! anne Vatis ora conspicor mei?
Ita est: manus Scorelliæ vides opus;
Cui exprimenda, quà licet, coloribus
Secundus ipse vivus ora præbuit:
Secundus ille, nemini Hippocreniâ
Secundus arte, flammeisq́ versibus:
Suæq́ lumen alterum Bataviæ:
Domusq́ grande Nicolaïæ decus;
Satus parente Præside, Haga quem tulit.
Hic ille nempe, cui recenter edito
Labella Suâda melle tinxit Attico;
Suoq́ dia nectare imbuit Venus.
Tibi hinc Batava gratulare Curia
Tuo, Haga, vate: cui parem arte carminis
Neque Hellas ante, nec plaga Ausonis tulit.
Philetam omitte prædicare, Cos, tuum:
Anacreonta & anteferre Teïum
Secundo acumen erubescat Atticum.
Tibullum ad astra Roma ferre desinat:
Meoq́ Vate te minorem & imparem
Fatere Sulmo: neu* Perezî amoribus
Corinna certet. Ipsa neptis Hostij

* Referendum ad Elegiam, quæ Gonsali Perezij Hispani nomine à Secundo scripta est, extatque lib. III. Eleg. VII.

* *

Propera

Propertio tumere desinat suo.
Catulliana cesset æmulatio,
Et osculationis improbæ seges.
Tua ista palma, iure debitus tibi hic
Honos, Secunde. Nam quæ Hymettia, aut tuis
Sicana mella conferenda Basijs?
Quid ad Neæram eodem honesta nomine
Marulli amica? [a] *Fanniam quis audeat*
Tuæ, ô secunde, comparare Iuliæ?
Lyræ hinc facessat Augurellæ ovatio,
Sonore cassa Flaminî vacet chelys.
Vterque Strozza musset; Antiæ Titus,
Lucretiæq; buccinator Hercules.
Sacras ciere parcat Archius fides.
Vale, ô, [b] N*epote Parma cum tuo, Vale.*
N*eque Actio superbiat* N*eapolis.*
Quid ad me Oliva Vatis [c] *Andegavij?*
Tuis, Murete, quid cum amoribus mihi?
Macrinæ abite, vapulate, [d] N*æniæ.*
Suo & Ligella sordeat Ducatio.
Latina, Franca, Thusca plectra cedite
N*ova ac vetusta* N*icolajs modis.*
N*eque Hagiense provocare barbitum*
Furas Pisaure. Fascitelle da manus,
Petrarcha, Molsa, Cotta, Bembe, N*augeri.*
Mihi Secundus unus instar omnium est.

a A magno illo Ioviano Pontano carminibus celebrata.
b Georg. Anselmus Nepos, Poeta Parmensis. c Ioach. Bellaij.
d Referendum ad tres libros Næniarum Salmonij Macrini.

In aliam eiusdem imaginem ad Sepulchrum suspendã destinatam,

HADRIANI MARII FRATRIS

Epigramma.

QVisquis Ioannis vidisti scripta secundi,
Aut cælo ductas illius effigies.
Heic ipsum, qualis vivus fuit, aspice, & ossa,
Et venerare sacrum, quod tegit ossa, solum.

In eiusdem mortem

ANDREÆ ALCIATI I. C.

Epigramma.

NOmen perpetuum vitâ breviore rependunt,
Elysiisq; abdunt te tua fata locis,
Vincere ne veteres posses magnosq; Poëtas,
Par quibus hoc modico tempore factus eras.
Flent Musæ, & Charites, lachrymas quoq; fundit Apollo,
Et tua deserto busta Helicone colunt.

In eiusdem mortem & Poemata,

NICOLAI GRVDII FRATRIS

Epigramma.

LIBER IPSE LOQVITVR.

TV quemcumque iuvat tenero cognoscere versu
Seria delicijs mixta Cytheriacis.
Basia quem madidis delectant pressa labellis,
Semper & alterius finis amoris amor.

Me lege. & admonitus properatâ morte secundi,
Carpe diem. volucri volvitur ille rotâ.
Ni facis, ereptum tempus lugebis amori,
Cùm veniet rapido mors inopina pede.

IDEM DE EODEM.

Ad Venerem & Cupidinem.

LAscivi Genetrix alma Cupidinis,
Lascivæq; Deæ telipotens Puer,
Cultorum duo Vatum
semper mitia numina;
Vestris imperijs si meus obsequens
Ianus concinuit mollia prælia,
Nullum & quæsiit ægris
Finem lentus amoribus:
Vos raptum Elysio sistite amabili,
Quâ Vatum recinunt assiduùm chori;
Prosit regna proterva
Decantasse suaviter.
Et, quâ sol propior fervidus imminet,
Et, quâ Bruma riget marmoreâ nive:
Tellus quâ vaga circùm-
Ambitur tumido æquore:
Et, quâ fluctivagis est via navibus,
Humanive memor terra iacet pedis,
Vatis fama Secundi
Vivat fama perenniter.

HADRIA.

HADRIANI MARII

In mortem

IOAN. SECVNDI,

fratris chariß. desideratiß.q;

NÆNIA.

QVis luctus, lachrymæve, aut quæ lamenta dolori
Sufficiant nostro? nunc claro pectora planctu
Irrequieta sonent, nunc fœmineo singultu
Vrbem orbemq́ implere iuvat, si fortè levetur
Immensus dolor, & mens debacchata residat.
O maria! ô terra! ô quod circuit omnia cœlum!
O crudele nefas! ô sævi iniuria Fati!
Naturæq́ vices inversæ! ô plurima Divûm
Invidia! ô, quondam mea maxima gaudia, Frater,
Nunc dolor, afflictoq́ gravis sub pectore luctus!
Quàm mallem has lachrymas, hos te, charissime, questus
Impendisse meis meliori carmine fatis!
Hæccine quæ nuper de te sperare iubebas?
Hicne celer reditus, tua quem mihi littera pacta est,
Idibus his ad me Bruxellæ mœnia linquens
Quam dederas: Nondum (ecce) novæ venêre Calendæ,
Adventumq́ tui subitò mihi fama ministri
Nunciat: extemplò circum præcordia sanguis
Horruit, & manifesta mali præsagia tanti
Mens perculsa dedit. Sic ad præsepia nota

Turbatus sonipes, domino sessore relicto
Accurrit, casuq; domum conturbat acerbo:
Illum autem in sylvis immitis turba latronum
Infelicem auro spoliatum animâque reliquit,
Incautumve palus ignoto vortice sorpsit,
Flent uxor, natiq; incertaq; funera lugent.
Felices illi præ me, cui certa malorum
Stat ratio, veraxq; nimis cui nuncius aureis
Læsit, & æterno damnavit lumina fletu.
Ergo procul dulci patriâ & natalibus arvis
Sic, germane, iaces? & divi vicus Amandi
Extremos hausit gemitus morientis, & ora
Hyblæo nuper clausit manantia melle?
Et terrâ texit, quartâ quem viderat ante
Viventem validumq; die, nec viderat ante,
Quàm fato cùm nunc illuc urgente venires?
Quid nunc Hesperiam obstanteis fugisse per Alpeis
Profuit, & patriam terraq; mariq; petîsse?
Vt nostras interq; manus, atque oscula nota,
Longiqui ferres levius fastidia morbi,
Aut melius certè ac patientiùs expirares?
Invidit Fortuna necis solatia. & ægro
Desperatam animam charos vix inter amicos
Ducenti placidam mortem indignata negavit,
Vt propè sanatum subitò crudeliùs inter
Ignotasq; manus extingueret, extinctumq;
Externâ tegeret tellure, nec optima mater
Circumfusa sui corpus mœstissima nati
Oscula non iteranda daret, gemitusq; supremos,
Ore suo legeretq; animam morientis ab ore,
Obtegeretq; extremâ oculos in morte natanteis?
Ne soror abscissos aut hæc aut illa capillos

Cumq; thymo molli, cum purpureis hyacinthis,
Rore maris, violisq;, & odoræ germine myrti,
Munera summa tuo iniiceret devota sepulchro.
Ne fratres mæsti, atq; horum mæstissimus ipse,
Vltima pallidulis mandata excerpere labris
Supremumque Vale coniunctis dicere dextris
Possemus, mutam neu defleremus ad urnam
Compositum, & magnâ Maneis ter voce vocantes,
Doctorum lachrymis circùmstillante coronâ,
Et nostras singultu interrumpente querelas,
Iremus præclara tuæ per facta iuventæ.
Dulcibus ut Musis tenero devinctus ab ævo,
Cùm bis quintus adhuc parvo decurreret annus,
Iamtunc imperio cantabas docta magistri
Carmina, sic illi tamen haud vulganda per orbem.
Tunc spes nata tuis amplæ certissima frugis.
Non aliter, quàm cùm tenerâ densissima in herbâ
Stat seges, & tectam viridi velamine terram
Eripit ex oculis, læti per rura coloni
Dona ferunt Divis, & spe pascuntur opimâ:
Horreaq; extendunt venturæ amplissima messi.
Atque utinam non horum aliquis sua dona reposcat,
Ingratos Divos; mistâ si grandine turbo,
Aut niger albenteis contriverit imber aristas,
Et latè ditcis opibus spoliaverit agros,
Relliquias tempestatis rarosq; maniplos
Cum lachrymis gens mæsta legat, lectosq; vacantis
Exiguâ latè tecti sub parte reponat.
Sic obtrita tui nobis spes maxima, Frater.
Ingenij: sic pauca piâ nunc fragmina dextrâ
Colligimus, seclis tamen haud spernenda futuris.
Nî me fallit amor, nisi nil præsagia Vatum,

Nil fidei sacer ardor habet, tua IVLIA vivet
Æternùm; vivent formosæ blanda Neæræ
BASIA; diversiq; alÿ quos ludis Amores:
Dilecti vivent solatia blanda Sodales,
Sive tuis celebrati ELEGIS, seu LITTERA notos
Quos tua per geminos faciet distincta libellos:
ODÆ Pindaricæ vivent imitamina chordæ,
Et salibus conspersa suis EPIGRAMMATA parvæ.
Quin sua defuncti per te post FVNERA vivent,
Queis tumulos pius, & tumulis pia verba dedisti,
Quæ legat & sanctos Maneis ventura salutet
Posteritas, similiq; optet notescere Vate.
ORPHEA perpetuùm Lycidas, patrem Orphea vatum
Coniuge mœrentem raptâ canet. Aurea semper
Aurato celsa in solio Regina sedebit
Sola potens rerum domitrixq; PECVNIA fati.
Æternùm SYLVÆQVE tuæ & tua fama virebit.
Nulla dies unquam, taleis plaga nulla laboreis
Nesciet, artificesq; manus, & cæla Poëtæ,
Iulia queis vivo formosa in marmore spirat,
Et formosa Neæra, atque altera tertius ignis,
Et chari fratrum vultus, charique parentis,
Oraque amicorum varia, & tua maximè Cæsar,
Nunquam sculpta aliâ meliùs simulatave dextrâ.
Quid memorem, argillâ solitus quos ducere ab udâ,
Viventeis hominum vultus, vultusque Deorum?
Quæ cuncta aspiciens, & nomina nota Secundi
Posteritas studiosa legens, mirabitur olim,
Phidiacasq; manus, facundiq; ora Properti,
Primâ uni facileis Divos tribuisse iuventâ,
Et tantam primâ spem præsecuisse iuventâ,
Claudenti primum nonæ trieteridis annum.

Quid

Quid referam, meritâ iuvenilia tempora lauro
Vrbe tuâ Biturix dextrâ præcincta verendâ
Alciati magni, sanctarum insignia Legum?
Quæ nunc quid prosunt? quid tot volitaße per urbeis?
Quid pietas tibi mitis heri? quo celsa Toleti
Præsule Dijs grato fumant altaria ture,
Quem dominum dudum suspirat maxima Roma?
Ille tibi arcanasq; notas, arcanaq; scripta
Credidit, atque tuâ gavisus scribere dextrâ est
Magnanimos Latij ad proceres, dominæq; potentem
Paulum Vrbis dominum: quin & te Cæsaris arma
Instructamq; sequi iußit per cærula classem,
Cum Mytilenæo, Lybicas qui insederat oras,
Prædoni nuper bellum exitiumq; prraret,
Pœnorumq; in avita reponere regna Tyrannum
Expulsum ultro iret mundi pacator: ut esset,
Victuro præsens qui posset carmine bella
Tantaq; magnanimi describere Cæsaris acta.
Deinde uti victorem terrâq; mariq; secutus,
Flaventem ad Tybrim, magnæq; palatia Romæ,
Pontifici summo summos Orator honoreis
Nomine gratareris heri, triplicemq; coronam,
Obstitit atra lues, & diri iniuria morbi,
E mediâq; viâ vestigia vertere retrò
Compulit, & patrias invitum quærere sedeis:
Heic illeic subsistentem, invalidumq; potenti
Cedentem morbo. tandem tenuißima venit
Ad nos umbra tui; sic te charißime rerum,
Aspicimus, dixi, lachrymis amplexus obortis.
Lætitiamque inter dubius, mæstumq; dolorem,
Et dudum ipse meæ damnans præsagia mentis;
Hei mihi non frustra, quid enim patrij aëris haustu

Profuit excußiſſe refecto è corpore morbum?
Relliquiæ pulſi ſubito ſi funere morbi
Sternere debebant firmatam penè ſalutem?
Quid precibus noſtris fractæque ætate parentis
Conceßiſſe iuvat, patrijs ne rurſus ab oris
Cedens, morbiferis ambuſtum ſolibus orbem
TAVERÆ que tui peteres cupidiſsimus aulam,
Sed patrios intra fineis cum Præſule ſancto,
TRAIECTI cui ceſsit apex, & maxima templa,
Conditione ageres ſimili, ſed non diuturnâ.
Nam ſummos paulo ante dies ad Cæſaris aulam
(Qui tunc pacatâ Tyriæ Carthaginis orâ
Luſtrabat Latias populis gratantibus urbeis)
Accerſitum ultro Pernoti litera venit:
(Pernoti, ſine quo magnus nil Marte, togáve
Cæſar agit, dudum Heſperiâ cui notus in orâ es,
Ingenio quantum, dextrâ, linguâq; valeres:)
Cæſaris ut ſignata manu quæcunque Latino
Littera ferretur latum ſermone per Orbem,
Ingenij illa tui dextræq; opus eſſet & oris.
Fata retraxerunt iter importuna parantem,
Inq; alias egêre vias, nemo unde reverti
Ingreſſus potuit ſemel: infandoq; ſopore
(Heu!) dulceis oculos, & doctæ murmura linguæ
Damnarunt, doctaſq; manus, crudelia Fata.
O crudelia Fata! & vos (ſi dicere fas eſt)
Crudeles Divi, qui Fatis cuncta licere
Conceſſumq; homini naturæ legibus ævum
Florenti ſinitis præcidere ſæpè iuventâ.
AEternum ô mihi Frater ave: te plorat ademptum
Vnà omnis turbata cohors ſtudioſa, viriq;
Artifices: plorat ſenio confectaq; luctu

Mater,

Mater, & in miseram partem germana doloris
Terna venit, terniq; tibi fidissima quondam
Pectora, postq; obitum fidissima pectora, fratres.
E quibus hic, primis tecum qui vixit ab annis,
Et penè æquævam tam longùm tramire vitam
Produxit simili, vitæ nunc parte carebit
Dimidiâ meliore suæ, dum vivere partem,
Quæ superest invita, Fides Pietasq; sinetis.

EPITAPHIVM

IOAN. SECVNDI

Fratris charissimi,

Eodem MARIO auctore.

HOspes, ne teneri sistas super ossa Poëtæ,
 Hic sacer est Musis & tibi Phœbe locus;
Servat Ioannis qui corpus inane Secundi,
 Quo iuvenis nostro haud doctior orbe fuit,
Mollis seu facili deducere carmina versu,
 sive hominum vultus sculpere, sive Deûm:
Testantur monimenta atque hæc, atque illa, per orbem
 Plurima, quæ morti cedere viva negant.

NÆNIA

in obitum

IOAN. SECVNDI

fratris optimi,

NICOLAO GRVDIO.

auctore.

SIccine in æternam clauduntur lumina noctem,
Lumina perpetuos digna videre dies?
Siccine pallentes raperis, germane, sub umbras?
Victima sic Orci nil miserantis abis?
Nec tua te virtus duris exercita rebus,
Nec tua te pietas, nec tua nota fides,
Nec sanctæ studium sophiæ remorantur euntem,
Eloquiumve potens, ingeniumve sagax?
Arte Promethæâ quid vivas ducere formas,
Profuit, aut cælo saxa animasse tuo?
Alciatóve sacras Leges didicisse magistro?
Qui facit Insubrum clarius esse solum.
Quid iuvat Aonias iam tum coluisse puellas,
Cursabas patrium quum puer ante larem?
Cui mox Cyprigenâ iuveni cum matre Cupido
Blandus Acidalijs ora rigaret aquis,
Firmior ætate ut faceres certantia morti
Cermina, Thymbræo doctus ab ipse Deo:
Quæ caneret facili dominæ blanditus amator,
Quæque iacens duras pervigil ante fores?
Ergo, nec audivit te carminis auctor Apollo?
Ergo pij vates turba profana sumus?
Frustra cura Deûm, frustra sacriq; vocamur,
Mors quoque si sacris Vatibus æqua venit.

At tibi, Dij facerent, melior pars isset ut ævi,
Quum secuit vitæ stamina Parca tuæ.
Crudeles Divæ, Stygijs deposcitis undis,
Lustra cui nondum quinque videre fuit?
Dij facerent, interq; manus atque ora tuorum,
In patrioq; solo te potuisse mori,
Undiq; præruptis singultibus ora sonarent,
solaque non fleret te modò nostra domus.
Mæstus uterque piam flevisset CATZIVS umbram,
Catzius in versu clarus uterque tuo.
CLERICVS & flesset, qui fuscâ sub cute gestat
Pectora non tactâ candidiora nive.
GOCLENIVS rapti plorasset funus amici,
Goclenius nullis Vatibus inferior,
Atque alij, atque alij flessent longo ordine Vates,
Sectantes mortis dira feretra tuæ.
O, quàm multa graves educens pectore questus
Corriperet madidas ungue puella genas!
Ipsa quidem ante alias flens charum IVLIA Vatem,
Illa tuus, Frater, Iulia primus amor,
Iulia formosas inter victura puellas,
Vatis amatoris munere facta dea,
Immiti spargens myrtosque rosasque sepulchro,
Condiret lachrymis funera deciduis,
Oraque de largo imprimeret turgentia fletu
Vatis amatoris, dona suprema, genis.
Tum longæva parens nati complexa cadaver
Mixta daret tepidis oscula cum lachrymis,
Et non una soror, laceros turbata capillos,
Dilanians sævâ pectus & ora manu.
Et terni fratres cineri bona verba precati
Diro cum gemitu florea serta darent.

Aut, tibi si patriâ procul & natalibus arvis,
Invidiosa Deûm fata fuêre mori,
Saltem non divi spectasset vicus Amandi
Implentem vitæ munia summa tuæ.
Nec satis à patriâ propè, nec natalibus arvis,
At neque sat nostrâ de regione procul.
Nigra dies melius rigidos clausisset ocellos
Sub desertorum rupibus Arragonum,
Sive Tagi ad ripas, calidi sub lumine Phœbi,
Arida quum febris clauderet ora siti.
Quum sæpè (ut memini) nequicquam Fata precatus
Sensisti surdos ad tua vota Deos.
Serius ut certè venißent nuncia lethi,
Venißent domui sic leviora tuæ,
Et genitrix, quæ nunc subito exanimata dolore est,
Sensisset medicam temporis esse moram.
Forsitan ipsa etiam minuissent tanta locorum
Intervalla aliquid, quod propiora negant.
Nec tam certa tuæ manasset fama ruinæ,
Essent nec lethi tot monimenta tui.
Lenius ipse equidem sic tunc mea damna tulissem,
Redditus assiduis durior usque malis,
Quum mea (quid gravius?) lenti post tædia morbi
Coniux est furvas ire coacta vias;
Nec charam illius potui comitarier umbram:
Vt sequerer, duræ non voluêre Deæ.
Quis scit an ipse etiam tunc æquius occubuisses
Languidus, & fractus penè dolore meo?
Certe aliquid fuerat quosdam spectare tuorum,
Quodq; oculos tegeret fratris amata manus,
Et tumulo nostræ componi posse Cobellæ:
Quodq; unus fieret mixtus uterque cinis.

Triste subivißent Venerilla Neæraq; funus,
Manibus unanimes & pia verba darent.
Hæc quoque frigenti tot basia figeret ori,
Quot solita est vivo figere, quotq; modis.
Ipse ego thura sacrasq; darem cum carmine lauros,
Quæ tua promeruit non temerata fides;
Quàm longùm pariter concessos egimus annos,
Seu fors blanda mihi, seu mihi dura fuit;
Quo me cunque tulit Fati imperiosa potestas,
Dum vagor externo Cæsaris orbe comes,
Quem Dominum Occasus latè veneratur, & Ortus,
Et plaga, septenâ qua micat Ursa face.
Finifero quoties hærentes vertice nubes,
Quæq; Pyrenæo nix iacet alta iugo,
Tecum unâ potui celeri percurrere manno?
Sævaq; ab hyberno frigora ferre Iove?
Tecum unâ Hesperios quoties contemnere soles,
Finderet arentes quum ferus ardor agros,
Ilicis, ô, quoties tecti requievimus umbrâ?
Quum dedit alternos nostra Thalia modos?
O, quoties matutinas venatibus horas
Lusimus, ut caderet præda petita lepus?
Tecum igitur duros potui qui ferre labores,
Qui tecum o omnigenis ludere delicijs,
Cur non te potui per regna inamœna secutus
Transmitti Lethes dira fluenta nigræ?
Ac tristes sine sole domos, sine lumine lucos
Visere? nigrantes & comes ire vias?
Inde etiam tecum Elysios habitare recessus,
Quî per odoratum sibilat aura nemus?
Sic mage constarent fraternæ fœdera dextræ,
Nec meus imparibus passibus iret amor.

Vestra mihi, Divæ, toties cur defuit ira?
Cur trahitis lentâ stamina nostra manu?
Immo, ego quin ferro tantos finire dolores
Accelero? & mihi do, quod mihi Parca negat?
Nam nec longa dies mihi me placaverit, aut quæ
Afflictos animos Bacchica dona levant.
Quid tamen, heu, prodest renovari vulnera verbis?
Quidve iuvat gemitu publica damna sequi?
Aut, tibi quid valeat me lethum urgere negatum,
Si redimi nostrâ mors tua morte nequit?
Spero equidem (quin certa fides) vestigia mox iam
Chara sequar: neque nos dividet ulla dies.
Ergo, agite, ô porro rigidarum pensa Sororum
Currite mî, nullâ præpedienda morâ.
At vos, ô chari Manes, requiescite in urnâ
Interea, tellus nec premat ossa gravis.

EIVSDEM

EPITAPHIVM.

INvida te primâ rapuerunt Fata iuventâ,
Ne posses veteres exsuperare senex.
Iamque isto, germane, iaces tegerisque sepulchro:
Exiguo at tumulo non breve nomen habes.
Non te tempus edet, non fama obscura recondet,
Nullo expers Clariæ tempore laudis eris.
Omnibus æternum vives celebratus in oris,
Vt Mors par tantæ non erit invidiæ.
Saxa etenim sua sors longinquo ut pulveret ævo,
Perpetuis fatum non venit ingenijs.

DE

IOANNE SECVNDO NICOLAIO,

Hagensi; deq́ue Gente Nicolaïâ.

PRÆDICET Antiquitas suos Mucios, quorum aliquot continenter Iurisconsulti fuere. Plures NICOLAIORVM familia extulit. Caput & parens NICOLAVS EVERARDVS, *Middelburgensis* cognomento notus, quòd in viciniâ eius urbis, quæ Zelandiæ in VValachriâ insulâ facilè princeps, natus esset atque editus, Everardo & Glycerâ parentibus; Iuris Civilis Pontificijque vetus & præclarus, variâ eruditione & judicij acumine (quod vel CONSILIA ejus & TOPICA LEGALIA comprobant) doctos inter sui ævi viros neutiquam postremus. Dialecticam enim ratiocinationem, quam plerique legulei homines supercilio quodam temerè contemnunt, Iuris sacerdotibus inprimis necessariam esse, ante Vdalricum Zasium, magni nominis I. C.tum, commonstravit. Hinc Doctor apud Lovanienses renunciatus, primùm Assessor in Magno Senatu Machli-

Machliniensi; deinde Hagæ-Comitatensi in Aulâ Batavis Præses à Principe Carolo V. Imp. datur. Quam provinciam annos ipsos duodeviginti summâ fide vigilantiaque sustinuit: donec ad summam Supremi Senatus Belgici præfecturam ab eodem Cæsare Machliniam accersitur. Vbi & hoc munere laudabiliter fungens, grandævus & septuagenarius in vivis esse desiit, Anno cIↄ Iↄ xxxi i. v. Eid. Aug. *Nicolaus Grudius*, Nicolai filius, patri optimo, in urbe Machliniâ sepulto, sic parentavit, & mortem descripturus, vitam eius totam breviter complexus est:

Evrardo patre, de Glycerâ genitrice creatum
Walchria Nicoleon me tulit inter aquas.
Docta rudimentum dederat Lovania Legum,
Quæ mihi, mox à me, quas docuit, didicit.
Iuverunt iustos oracula nostra clientes.
Inflexêre animum munera nulla meum.
Integer hac AEquum colui priùs urbe Senator;
Post Batavis Præses iura sacrata dedi,
Magnatum rigidisq́; minis precibusq; potentum
*Infractus, senas penè * trieterides:*
Cùm vocat huc iterum Cæsar me Carolus ultro,
Præses & ensigeræ Virginis arce locor.
Nostro nec sat habens seclo prodesse, reliqui
Quæ, bona Posteritas, te quoque lecta iuvent.

Nato-

Natorum licuit viventi cernere honores,
Quos mihi Bladellæ ſtirpis Eliſſa dedit:
Qui tumulum & titulos rapto poſuère parenti,
Aſtreæ, & Clario turba probata choro.
Parte mei meliore ævi ſatur, aſtra petivi;
Deterior quadro hoc marmore preſſa latet.

Ioannes etiam *Secundus* in Querelâ ſuper obitum patris pientiſſimi, ita eum loquentem introducit:

Ipſe meos annos, vitæ ſine labe, peregi;
Exiguumque mei tellus obſcura recondit:
Cætera tam parvâ non compeſcuntur in urnâ.
Pars ſed in æthereas ſedeis, natalia regna,
Ceſsit; pars Famæ niveæ plaudentibus alis
Ingenti vehitur ventura in ſecla triumpho.
Quòq; magis vario vita eſt mihi ducta labore,
Hoc magis elucet fatis exercita virtus.
Namque ubi (fabor enim, ſi ſic tua fortè leventur
Vulnera) poſt primos ævi iuvenilis honores,
Principis invicti dono, pars una Senatus
Ipſe forem magni ; cuius ſub legibus olim
Antiquæ Belgarum urbes, populique potentes
Submiſsi, iuſtumque colunt, æquumq́; tuentur,
Continuò Batavas Præſes dimittor ad urbes,
Effrenes populos, qui tunc vix ulla tenebant
Fœdera iuſtitiæ, ſed vi, ſed cæde cruentâ,
In commune malum contemptâ lege ruebant,

Mutua civili miſcentes funera bello.
Quæ mala non illic, quæ non diſcrimina ſenſi,
Improba dũ meditor confringere facta potentum
Nobilium, innocuoſq; homines arcere rapinâ?
Sed fretus iuſtiſq; Deis, & Principe iuſto,
Fraudibus obſeſſũ atque minis, gladiiſq; nefandis,
Obnixus perrupi iter, Aſtrææq; potentis,
Signa per obſtanteis acies interrita duxi:
Armatiſque domans ſacratis legibus hoſtem,
Otia paulatim populis tranquilla paravi.
Iamq; mali tanti veſtigia rara manebant,
Et iam bis novies ſol circumvolverat axem,
Ex quo cœpiſſem Batavæ moderamina gentis,
Cùm me ſupremo Cæſar dignatus honore
Mandavit rebus magni ſupereſſe Senatus
Machliniâ in clarâ, &c. in Funerum libro.
Machliniæ itaq; in vivis eſſe deſijt: ſi tamen ille deſiiſſe cenſendus eſt, qui ex ornatiſſima Eliſſa Bladella Machliniẽſi, Filios quinque, rara omnes Doctrina & ampliſſimis dignitatibus, orbi reliquit: *Petrum Nicolaium* Præmonſtratenſis Ordinis Prælatum, Theologię ac Iuris Civilis candidatũ: *Everardum Nicolaium* I.C. Regij Senatus Friſici apud Leovvardienſes, ac deinde Supremi apud Machlinienſes Præſidẽ; Poetices etiam non ignarum: *Nicolaum Grudium* (ita nuncupatum, quòd Lovanij natus eſſet; ſed *Grudios*
Cæſa-

Cæsaris, falsò Lovanienses putant vulgo) eximium Poetam & I.C. Regium Consiliarium, & Illustri Equitum aurei Velleris Ordini ab Actis. *Hadrianum Marium*, magnum Gelriæ Zutphaniæq; Cancellarium, & *Ioannem Secundum*; quà Iuris Civilis, quà Poeticæ tractatione claros. Hac erudita Liberorũ sobole veluti renatus, & immortalitati trãscriptus, venerãdus Pater *Nicolaus*, vivit etiã nũc,

--- nec adhuc crudelibus occubat Vmbris.

Conditus Machliniæ ad D. Mariæ, hac epigraphe sepulchrali:

D. O. M. S.
C L A R I S S. D.
NICOLAO EVERARDO
MIDDELBVRGENSI
SVMMI CONSILII PRÆSIDI,
MARITO CARISS. PATRIQ. PIENTISS.
VXOR LIBERIQ. CVM LACHRYMIS POSS.
VIXIT AN. LXX. OBIIT Ao. A SALVTE RESTITVTA
cIↃ IↃ XXXII. V IDVS AVG.

Iura velut tenebris iamdudum offusa iacebant,
Pæneq; Letheæ sub pede mortis erant.
Astrea ad Grudios rediit te vindice campos,
Iuraq; Romani quæ coluëre patres.

In eadem AEde Patri adhumatus est filius clarissimus *Everardus Nicolaïus*, cùm summis muneribus & Equestri dignitate

auctus esset, ac vixisset annos tres & sexaginta; hoc Tumuli titulo:

CLARISS. CONSVLTISS. DOCTISSIMOQ. VIRO AC D. EVERARDO NICOLAI, EQVITI AVRATO ET SVMMI BELGICÆ CONSILII PRÆSIDI. PARENTI PIENTISSIMO LIBERI MOESTI POSS. VIXIT ANNOS LXIII. OBIIT Aº A CHRISTO NATO CIↃ IↃ LXI, VI IDVS MAII.

REQVIESCAT IN PACE.

Novo & ignoto *Sudoris* morbo non semel in vita conflictatus est, lectoque affixus. Quod frater *Secundus* testatur Epistolarum libro primo, Eleg. III. Non alienum à Poetica Musisque (quod supra tetigimus) *Everardum* fuisse, non obscurè idem *Secundus* indicat, in quadam ad ipsum Epistola; qua alloquitur Musam:

Quid petis ulterius? cuius modò limina vises,
Aonias adamat frater & ipse Deas:
Et poterat viridi sacra cingere tempora lauru,
Natus ad Orpheæ garrula fila lyræ:
Maluit at tetricæ studiis vigilare Minervæ,
Et colere Astreæ numina cœlipetæ,
Et iactare foro strepitantia verba diserto,
Nunc etiam populo reddere iura truci:

Nec

Nec tamen ergo minus Musas veneratur, amatq́;
Hæ requies feßi pectoris una manent.
His sese oblectat, cùm magna negotia liquit. &c.

Nicolaus Grudius fratri desideratissimo hoc Epitaphium, seu vitæ compendium, scripsit:

Evrardus tegor hoc tumulo, de Præside Præses
Qui genitus, iuvenis respondi civica iura;
Grandia dum fugio, dum tuta & parvula sector.
Inde Senatorum Frisius me vindicat ordo:
Quæ regio ut multos languentem viderat annos,
Iam meliore velut cælo fruiturus & aurâ,
Machliniæ iubeor magni pars esse Senatus.
Mox iterum Frisias Præses ablegor in oras.
Indè sed in propriam me clemens evocat aulam,
Pòstq́; senem summo Rex ornat honore Philippus,
Exantlatorum pretium non vile laborum:
Namq́; prius genitor quâ sederat arce, locavit.
Cuius ego ut mores vivens imitatus & artes,
Haud Regi ingratus, nulli gravis, omnibus æquus,
Et charus patriæ vixi, & dilectus amicis:
Sic etiam ante pedes illius habere sepulchrum
Nunc iuvat, extinctũ neque deseruisse parentem.

Everardum secutus frater *Hadrianus Marius*, Bruxellis vitę atque aulæ satur defunctus. An. cIↃ IↃ LXVIII, XII Kal. Aprilis.

Cuius Magiſtratum Cancellariatus Gelriæ & Zutphaniæ Guilielmus Cripius Hagenſis I. C. excepit; qui & amœnioribus ſtudiis deditus *Secundi* noſtri Poëmata ab Vltraiectenſi Editione primâ ſecundùm Pariſiis elegantioribus typis & concinniori forma in lucem extulit, An. 1561. quæ Editio ibidem repetita An. 1582. & aliquoties pòſt in Germania. BASIA ſeorſim etiam excuſa Lutetiæ An. 1538. in quarto quod vocant. Vltraiectina Editio exiit typis Hermanni Borculoi An. 1541. Verùm hæc obiter. *Marij* corpus Machliniam tranſlatum eſt, coniunctumque pijs Manibus parentis & fratris in D. Mariæ. Fratri chariſſimo parentavit hac Elegia *Nicolaus Grudius*:

Te, mihi quæ rapuit, ſorti ſubduxit iniquæ
Haud inopina tibi mors tua, chare Mari:
Vincula non patriæ, patriæ non funera cernes;
Sceptra nèc ambiguâ pôſta repôſta manu.
Liquiſti morbos. ægræ luctamina vitæ;
Liquiſti curas, mobile mentis onus.
Coniuge cum mœſtâ liquiſti abreptus amicos,
Orbati qui nunc fletibus ora madent.
Deq; bis ante novem natis genitoribus ijſdem
Nunc ſuperant unus frater, & una ſoror.
Qui, ceu te ærumnis vincunt, & ſegnibus annis,
Debuerant iſtam ſic priùs iſſe viam.

Non

Non tamen hæc partam, non invidet ille salutem,
Sed properat, rerum fessus uterque sequi.
Sat vixti: benè nam vixti. tibi Geldria testis,
Dudum quæ leges audijt æqua tuas:
Testis & Antonina, superbo ubi margine Rhenus
Plurima per tacitis secula torpet aquis:
Ac postliminiò exceptum qui à morte Senatus,
In natalitiâ te sepelivit humo,
Præsidibus socians corpus fratriq́, patriq́,
Vt sociat vestras regia celsa animas.
Sis bonus ô generi, & casus miserare tuorum,
Vt redeat patriæ cum pietate quies.
Interea monimenta tuæ cultissima dextræ
Fas studio, Frater, composuisse meo.
Tempora ne clari lateant ventura labores;
Neve decus meritum deterat ulla dies.

Vnde nomen *Hadriani*, & *Marij* cognomen ei adhæserit, ipse docet quodam Epigrammate ad Gulielmum Diemenum Roterodamum;

Vnde vocer Marius *Romanæ nomine gentis:*
Belgarum extremis barbarus ortus agris,
Quando scire cupis pro consuetudine nostrâ,
Magna sodalitij pars Dïemene mei:
Nec gentile mihi est, nec sic dixêre parentes,
Cum tenerum sacro rore caput madui.
Nomine de Divi nomen posuere Hadriani,
Quod sacra lux illi lux mihi prima fuit:

Hæc est Septembres bis tertia quæ præit Idus,
Cùm iam sub pedibus pinguia musta fluunt.
At cùm lux eadem Mariæ *quoq́; Virginis ortum*
Signet, & hinc latè nomen in orbe ferat,
Adieci Marius, *ne Divo scilicet uni,*
Quàm Divûm dominæ plus tribuisse ferar.

Trienno pòst, An. videlicet cIↃ IↃ LXXI, fato functus est *Nicolaus Grudius*, Venetijs; profectus eò Reipublicæ caussâ. Hominem exterum, eruditionis & muneris ergo, Senatus Populusque Venetus lachrymis sunt prosecuti, honorificè ibidem tumulatum. Claris plerisque eâ tempestate viris, in his Achille Statio, Angelo Andreæ Resendio, Lusitanis; Ioanne Christophoro Calveto Stella Barcinonensi, Honorato Ianio Valentino, Hispano, viro doctissimo, pòst Antistiti, familiariter utebatur. Quin & à M. Hieronymo Vidâ Cremonensi, Albæ Ligusticæ Episcopo, poeta magno, & Italię suæ nunquam pœnitendo, absens literis colebatur; alijsque præterea summis viris non paucis innotuit. Nam iis horis, quibus à publicis negotijs ac Iuris Civilis studio feriari ac respirare liceret, Poeticam & Musas tractavit. Sacris carminibus Gerardo Grousbequio Cardinali, Eburonum Principi, cui & *Hymnos, Odas*, cæteraque pia sua

Poematia inſcripſit, longè gratiſſimus fuit. Sacra hæc eius edita ſunt Antverpię à Guilielmo Sylvio: & ab auctore emendata, adjunctis ijs Epiſtolis ad Viros aliquot doctos Hiſpanos, quibuſcum illi partim olim Lovanij, partim Bruxellæ ſumma familiaritas amicitiaque interceſſerat. Hæc caſtigatiora & auctiora inſcribi voluit, NEGOTIA; *ſive Poemata ſacra Nicolai Grudij Nicolaij, Equitis Aurati, &c.* Nempe alia Poemata laſciviora & amatoria pleraque adoleſcens ſcripſerat, ſub hoc titulo: OTIA; *ſive Poemata profana Nicolai Grudij Nicolaij, Equitis, Brabantiæ Quæſtoris ac Caroli V. Imp. & Philippi Hiſpaniarum Regis Conſiliarii; Illuſtriſque Ordinis velleris aurei Graphiarii.* Præmiſerat his Diſtichon hoc Ad otioſum Lectorem:

Tempora qui perdis, conceſſaque munere cæli
Otia condemnas; Otia noſtra lege.

Otiorum catalogus iſte eſt. *Elegiarum libri tres. Epigrammatum libri tres. Hendecaſyllaborum liber unus. Funerum libri duo. Sylvarum liber unus. Epiſtolarum liber unus.* Quæ omnia beneficio CL. V. Bonaventuræ Vulcanij, qui ea auctoris ipſiuſmet manu exarata ab Ampliſſimo Curiæ Hollandicæ Hagæ-Comitatenſis Pręſide, Arnoldo Nicolai, iampridem acceperat, anno demùm cIↄ Iↄ cxii

publici

publici iuris facta ſunt : additis iis *Hadriani Marii* Poëmatis, hactenus ineditis. Quorumhi tituli ſunt, *Elegiarum libri duo. Epigrammatum liber unus. Epiſtolarum liber unus. Satyra una.* Acceperat & iſta ab eodem Præſide, & omnia, uti in manus eius pervenerant, integrè edidit. In *Grudii* verò Poematiis multa à ſe ἐξεπίτηδες planeque datâ operâ omiſſa eſſe profitetur. Ac primùm quidem Negotia, ſive Carmina omnia olim apud Sylvium excuſa; deinde *Nænia* prolixa in obitum Illuſtriſſimæ Principis Margaretæ Arcihducis Auſtriæ, &c. Provinciarum Belgicarum Rectricis : Præterea *Apotheoſis* in obitum Maximiliani ab Egmonda, Comitis Burani. *Epiſtolæ* denique ad Hiſpanos. Quæ quidem omnia Auctor ſingula ſeorſim Lovanij olim edi curarat, & poſtea recognovit & quamplurimis in locis caſtigavit. Sed hæc ubi nunc & quo in bibliotaphio deliteſcant, ignoratur. *Marius* præter *Dialogos aliquot Luciani* Græcos verſibus Latinis à ſe redditos,& *eiuſdẽ de vitanda calumnia* libellum proſſâ oratione,divertens ſubinde à negotiorum curis ad amœnos illos Muſarum hortos, Amatorias aliquot Elegias luſit, & præterea alia Poematia ab Vulcanio edita. Inter cætera lepi-

dam & ſatis prolixam Elegiam , quam *Cymbam Amoris* inſcripſit. Cujus *Grudius* lib. I. Eleg. principe meminit:

Carmina dant vobis mollia delicia;
Quales, quas Marij dubio ſuper æquore CYMBA
Vexit ab æquoreo quæ Dea nata mari eſt.

Item *Secundus* innuit lib. II. Eleg. I.

Ingenioſe Mari, ventura in ſecula tecum
Me tua CYMBA *vehat, non grave pondus ero.*

Hæc *Amoris* ejus *Cymba* legitur in fine libri Elegiarum I. Duobus his fratribus ſi tertium adiunxerimus Poetam noſtrum *Ioannem Secundum*, jam plena erit Poetarum maximorum triga: & habet ſanè Belgica, quod Italiæ luminibus opponat, & quo faſtum retundat. Poetarum, dico, non ſui, ſed & huius ſæculi facilè principum. Illuſtria Hercules ingenia, & liberi tanto patre dignißimi. Iactatam antiquitus, magnorum degenerare liberos: ut ingentis Tullij perditiſſimus filius ſatis arguit. Sed illud vetus, *Heroum filii noxæ*, non ſemper verum eſſe, magnæ animæ nec degeneres *Ioannes Secundus*, *Nicolaus Grudius*, & *Hadrianus Marius*, fratres germani, & liberi *Nicolai Everardi*, Præſidis, re ipſâ oſtenderunt. Et quidem luculen-

culenter. Hi mirâ quadam animorum consensione, Iurisprudentiam cum Poetices studio jungentes, non modò in foro ac aulis Principum, sed in literis etiam ac libris rei prodesse publicæ voluerunt. *Secundus.* quidem, eâ ætate, quâ vix Latinè loquuntur alij, in re Poetica usq; adeò excelluit, ut in aurem Batavam intempestivum Martialis iocum facilè eluserit. In eoque studio adolescens tantum profecit, ut Fratres illos suos tanto se inferiores reliquerit, quanto illi Poetarum Belgicorum sui temporis omne genus præstantissimo ingenio superarunt.

Natus *Secundus* Hagæ-Comitis apud Batavos. cui parentes, non sine omine, *Secundi* nomen indiderunt: ut cui secundum non facilè reperias. Ad quod prȩclarè allusum hoc Epigrammate:

Excelsum seu condit Epos, magniq; Maronis
Luminibus officere studet:
Sive leves Elegos alternaq; carmina, raptus
Nasonis impetu, canit:
Sive Lyram varijs sic aptat cantibus, ut se
Victum erubescat Pindarus:
Sive iocos blandosq; sales Epigrammate miscet,
Clarâ invidente Bilbili:
Vnus quattuor hæc sic præstitit ille Secundus,
Secundus ut sit nemini.

Optat

Optat & ſummus Poeta & incomparabilis Heros Ianus Douſa pater, ---*ſecundum*
Vt ſolùm liceat eſſe, Secunde, tibi.
Primus *Secundi* præceptor & formator Iacobus Volcardus Bergenſis, vir doctiſſimus. quem defunctum Nęniâ & epitaphio proſecutus eſt pius diſcipulus, debiti officij ergò, & loco Minervalis. Celebrat etiam in Epigrammatis RumoldumStenemolam, Præceptorem ſuum, Machlinienſem. cui in patriâ defuncto Epitaphium ſcripſit *Marius*, laudans in eo Græca rum literarum & Latinæ linguæ peritiã; & ab Actis Senatus Batavi fuiſſe prædicat. Adoleſcens in Galliam profectus, Avarici Biturigum Cuborum aliquamdiu ſubſtitit, & Iureconſultiſſimum Andream Alciatum Leges interpretantem audivit; ibidemque inter cæteros Macrini Salmonii Iuliodunenſis, Galli; M. Antonij Caimi, & Hieronymi Montij, Mediolanenſium; & Cornelij Muſij Batavi amicitia & conſuetudine uſus. Ipſumque Alciatum non indelectatum amœniſſimi hominis ingenio & comitate, apparet ex ipſius Epigrammate in *Baſia Secundi*, & alijs teſtimonijs. Pòſt moratus aliquamdiu rure Menetovico, cùm eò relicta urbe declinandæ peſtis gratia, quæ tum Biturigis ſæviebat,

viebat, secessisset: tandem à magno illô Alciato Iureconsulti laureâ cohonestatus & inauguratus, in Italiam, indeque in Hispaniam traijciens, Illustr. Cardinali Ioanni Taveræ, Archiepiscopo Toletano, à Secretis fuit, & Latinis Epistolis. In cujus contubernio inter alia luculentum illud Poemation scripsit, cui Regia Pecuniæ nomen. quod in Sylvis hac Editione primum locum jure suo vindicat. Misit illud ad amicissimum suum Petrum Clericum ex Montisionis, Kal. Octob. 1533. adjuncta Elegia elegantissima, quæ lib. 1. Epistola est XII. Ex Hispania Carolum V. Cæsarem in Tunetana expeditione secutus, in Africam ipsam transfretavit. In Patriam curandæ valetudinis gratia reversus, à Georgio Egmondano, Vltraiectino Præsule, ad idem munus, quo apud Cardinalem Taveram fungebatur, evocatus est. Is tum fortè Tornaci, celebri Nerviorum (uti volunt) opido, in D. Amandi, cuius loci Abbas (an Pro-Abbas?) erat, agebat: quò profectus *Secundus*, mox in febrim incidit, quartoque quàm advenerat die, flos ille Belgicus, nondum annorum quinque & viginti, occidit Anno cIↄ Iↄ XXXVI, VIII. Kal. Octobris. Defunctum Nænijs fratres amplissimi

plissimi & eruditissimi prosecuti sunt; atque in AEde Benedictinorum Abbatiæ D. Amando sacrâ, Tumulo marmoreo condiderunt. Nos pias Fratrum lachrymas & doctissimorum hominum Epicedia collegimus, & *Secundo* postliminiò parentantes Editioni huic Poematum eius cum TESTIMONIIS adjecimus. Ornatissimus Aubertus Miræus in *Elogijs Belgarum* primæ Editionis, Tumuli inscriptionem hanc Latinam recitat; quam in alterâ Editione omisit:

IOANNI HAGENSI

SECRETARIO REVERENDISS. DOMINI

TRAIECTENSIS, ET ABBATIÆ HVIVS

PRÆLATI, FRATRES ET SORORES

POSVERE.

OBIIT A. CIƆ IƆ XXXVI.

VIII. KAL. OCTOB.

Testaturque ejusdem sententiæ aliam additam Gallico idiomate. Nos tamen Poetæ nostri Epitaphium manu nobilissimi

Dousæ

Dousæ perscriptum, in schedâ quadam invenimus huiusmodi:

D. O. M. S.

IOANNI SECVNDO HAGIENSI BATAVO, I.C.to ORATORI AC POETÆ CLARISS. FINGENDI QVOQ. AC SCVLPENDI LAVDATISS. ARTIFICI: QVI PRIMVM IN HISPANIIS, IOANNI TAVERÆ TOLETANO CARDINALI; DEINDE IN PATRIA, ILLVSTRI GEORGIO AB EGMONDA, TRAIECTENSI PRÆSVLI, ET HVIVS LOCI PRIMATI, AB EPISTOLIS ET SECRETIS FVIT; POSTREMO AB CAROLO V. IMP. AVG. ACCERSITVS, VT EANDEM DEINCEPS APVD SE FVNCTIONEM OBIRET, IMMATVRA NIMIVM MORTE RAPTO, MATER, FRATRES, AC SORORES TRISTISSIMI DESIDERII MONIMENTVM POSVERVNT.

VIXIT AN. IIII ET XX. MENS. X. DIES X.

OBIIT ANNO AB RESTITVTA SALVTE M.D.XXXVI. VIII CALEND. OCTOB.

Nempè

Nempè hoc illud eſt ſcilicet, quod ſuperio-
ribus annis Civili bello Belgico inter alia
publica monumenta ab Iconoclaſtis exci-
ſum eſt atque abolitum. Franciſcus Svveer-
tius in Selectis Orbis Chriſtiani Delicijs,
inter TORNACENSIA reſtauratum hu-
iuſmodi monumentum exhibet:

In navi Eccleſiæ Monaſterij S. Amandi.

IOANNI SECVNDO HAGIENSI,
Poetæ celeberrimo & nulli ſecundo:
cuius tumulum hæreticorum furore
anno CIↃ IↃ LXVI *violatum*, CAROLVS
DE PAR *Abbas, ob tanti viri memoriam*
restaurari C.
Obijt anno CIↃ IↃ XXXVI, *Kalend. Octob.*
E-Secretis Georgij Egmondani Tra-
iectens. Epiſcopi, huius loci Pro-Abbatis.

Hortantibus D. D. Dionyſio Villerio & Hieronymo VVinghio
Carolus de Par Abbas reſtituit.

Hæc Svveertius.

Memoriæ proditum eſt, tres fratres ſuper-
ſtites, totidemque ſorores ei iuſta perſol-
viſſe.

visse. Inter quas *Isabella Nicolaïa* fuit, virgo sacra, Latinè docta. De quâ *Secundus* præconium tale perhibet quadam Epistolâ:

Salve ô fœminei, soror, unica gloria sexus;
Inferior nullis Issaabella viris.
Gaudia quanta mihi, quantum iniecêre stuporem
Depicta articulis verba Latina tuis!
Quàm pia! quàm lepida, & quàm mellea, quamq́; venusta!
Quam docta, & cunctis illa polita modis!

Petrus *Nicolaïus*. qui, ne quid ad cumulanda porrò *Nicolaïæ gentis* decora deesset, sacros item honores in splendidissimam hanc familiam intulit, Theologus insignis; nec minùs

Nobilis & Legum titulis, & Pr*æside patre*:

Vt canit frater *Secundus*. Ante quem fato extinctus est, carmine Epitaphio ab ipso famæ & immortalitati consecratus. quod in Funerum libro exstat.

Pingendi, fingendiq; & sculpendi studio impensè deditum fuisse *Secundum*, plurimasque imagines ab eo effictas, testantur cùm alij, tùm ipse non uno loco in Poematis, & sigillatim in Epistolâ ad ingeniosissimum illum & eximium pictorem Ioannem Scorellum, Canonicum Vltraiectinum. Quam cum alijs Reliquijs ex Archetypo ipsius

psius *Secundi* totam descripsimus, atque in-
ra publicavimus. *Ego verò* (inquit) *cum na-
urâ tuâ aliquid mihi commune esse, non time-
o dicere. Illud videlicet*, QVOD HAS FINGEN-
I PINGENDIQ. ARTES ARCANO QVODAM
ATVRÆ IVSSV SEMPER AMPLEXVS SIM, ET
DMIRATVS: CVI IVVENILI LEVITATE ALI-
VEM SCVLPENDI VSVM AVSVS SVM ADIVN-
ERE. *Quâ in re cùm acutissimo iudicio tuo non
imis infeliciter versari me intellexerim, pro-
ressus sum in lusu (meâ quidē sententiâ) non in-
uavi, &c.* Prodidit hæc an. CIↃ IↃ XXXIII.
ùm esset Machliniæ. De *Secundo* Poeta &
ælatore incomparabili, varij apud me sunt
oetarum lusus: *Petri Scriverij*, *Io. Isaacij
ontani*, & *Lucæ Holsteinij*. quos, iniurij simus,
non cæteris ELOGIIS eius adiungeremus.

SECVNDVS IPSE LOQVITVR.

ARtem Naturæ genio mirabere iungi,
Protulerit pictum si mea vita caput.
rodierit cœcâ quæ me face Iulia torret,
Vatis amatoris Iulia sculpta manu:
rotinus agnosces nostri monumenta caloris;
Agnosces oculos, qui rapuēre meos.
lammeolos illos oculos, fuscedine gratos;
Agnosces nigras, retia nostra, comas.

Quas fronte, & toto collo volitare videbis,
Qualis in amplexus venit amata meos.
Artifices Phidiæ digitos & Mentora iures,
Lysippi iures Praxitelisque manus.
Cœlestem dominam iures. ea gloria cæli est:
Ingenium hoc nobis Iulia sola facit.
Iulia, te teneo? an me rursum somnia fallunt?
Alter ut Ixion, Iulia, te teneo?
Abduxitque meos Hospes genialis amores?
Barbarus, heu, noctes poßidet ille meas?
Poßidet: & fictâ se pascit imagine Vates.
Improbus, heu, secum gaudia vera tulit.
Formosi remanet simulachri sola voluptas:
Sed tamē hæc vivent, cætera mortis erunt.
Vivet & æternùm nostris celebrata Camœnis
Iulia primus amor, Iulia summus amor.
Exiguo magnum nomen sortita libello,
Fulgebit Latias inter honora nurus.
Huius in amplexus contemptâ Naso Corinnâ
Ibit: nec Gallo grata Lycoris erit.
Nequicquam cupiet Nemesis lasciva Tibullum,
Romanum frustra Cynthia Callimachum.
Iulia postpositis adamabitur omnibus una;
Vna dolor cunctis, unaque risus erit.
Vnam omnes cupient: omnes fastidiet una
Iulia, carminibus facta superba meis.

ἐσχεδίασε
PETRVS SCRIVERIVS.

Hanc

Hanc etiam Poetæ noſtri in exprimendis per ectypas imagines vultibus elegantiam V. C. Ioannes Iſaacius Pontanus, amicus noſter, tribus nuper Epigrammatibus laudavit, & ad me Hardervico Sicambrorum Lugdunum uſque Batavorum tranſmiſit.

De IOANNE SECVNDO Hag. Poeta & ſculptore eximio.

SEu placeat dextro conſcriptus Apolline verſus,
Seu potius Phidiæ vivida ſigna manu:
Noverat hæc unus, Phidias & Apollo, Secundus,
Cælo alter Phidias, alter Apollo lyrâ.

De eodem.

Laudet Apelléas Orientis gloria ceras:
Romanum extollat Cynthia Callimachum;
Nõ minus & Batavũ celebret dũ fama Secundum,
Qui vates, plaſtes, ſolus utrumque fuit.

De eodem.

Carmina qui fingunt & pingunt æribus ora,
Carmine depromunt muta quod æra tenent.
Quam bene! rem ſociã nec dividit, ecce, Secundus,
Subſcribit tabulis qui ſua ſenſa ſuis.

IO. ISAACIVS PONTANVS.

In ſuaviſſimum & incomprabilem Poetam IOANNEM SECVNDVM, & amicam eius IVLIAM.

DVm tuas Veneres lego, Secunde,
Dum tuas Charites, Secunde, miror,
Dum tenent faciles ioci ſtupentem,
Dum mulcent lepidi facetiarum
Sales, dum ſitientibus labellis
Nectar ambroſiamq́; libo blandi
Oris, deliciisq́; baſiorum
Vſque ad invidiam fruor beatis:
Ipſa tum Venus haut ſatis venuſta,
Ipſæ tum Charites mihi videntur
Nec gratæ ſatis, aut ſatis decoræ:
Tum parum lepidus lepor, parumque
Omnes tum mihi ſunt ioci iocoſi:
Tum quodcunque alibi elegantiarum,
Et quodcunque alibi eſt facetiarum,
Meras affanias leveſque nugas
Puto. Sic mihi præ meo Secundo
Sordent omnia, ruſque mî videntur
Et ipſo magis inficeta rure.

IVLIA de se loquitur.

Lesbia multivolo quod debet clara Catullo,
Delia quod numeris culte Tibulle tuis,
Lydia quod Flacco, vel quod tibi Naso Corinna,
Vmbro quod debet Cynthia Callimacho:
Hoc mea fama tuis debebit Iane Camænis,
Inque tuis vivet Iulia carminibus.
At vos queis iocus est vatum contemnere amores,
Exemplo faciles discite amare meo:
Et genus & formam & nomen dat Musa puellis,
Transcribit cælis, & facit esse Deas.

LVCAS HOLSTEINIVS.

D. M. S.

Amplissimo viro

ARNOLDO NICOLAIO

SVPREMÆ CVRIÆ HAGIENSIS PRÆSIDI,

[a] Præsidis filio, [b] Præsidis nepoti.

IANVS DOVSA, NORDVVICI, &c. TOPARCHA.

ASTREA luge: sæva Parcarum manus
Invadit orbi NICOLAÏVM *genus.*
Ah triste Fati crimen, ah truces Deas!
Stamen resectum NICOLAO *primitus,*
(Caput ille gentis) NICOLAO, *qui sacri*
Princeps Senatus. cuius ipse Carolus
Miratus olim cum fide innocentiam,
Vocitare eumdem PRÆSIDEM *assuetus* SVVM.
Laus rara raræ certè opus faventiæ,
In gratiâ esse principes apud viros:

a Everardi Nicolaij. b Nicolai Everardi.

RE-

REGISQ; posse consequi præconium
Vel qualecumque. pluris at quanto ipsius
Profecta ab ore Cæsaris laudatio?
Quid, maius esse an testimonium potest.
Hoc patre, Vatum qui secundus nemini,
SECVNDVS; *unus instar omnium mihi.*
Hoc patre natus NICOLAVS GRVDIVS,
MARIVSQ; *qui Geldro Arbiter datus Foro:*
Magnoq; mox successor EVERARDVS *patri;*
Exemplum & ipse Præsidis *dictus boni.*
Quid iuvit ? atram non minùs Fati ratem
Scandere coactus? num magis letho vacat?
Sed vetera flere plaga nos vetat recens:
ARNOLDVS *inquam (cuius hîc urnam vides)*
NICOLEO *avo prognatus,* EVERARDO *patre;*
Et ipse Præses, *bina quem celebrant Fora.*
Vna è Domo sic Triga Vatum nobilis,
Quatuor Senati prodiêre Præsides,
NICOLEVS, EVERARDVS, ARNOLDVS; *cato*
Parente dignus natus, ac nato parens;
Avus nepote dignus, atque avo nepos.
Quos in locum hinc communem abisse fas queri;
Neque esse quenquam, præter unum CAROLVM,
De gente tantâ masculæ stirpis super,
ARNOLDVS *ex quo liquit auras luminis.*
Superstitis germanus ille Caroli;
Pariterque cœlebs, pariter a maioribus
Distans in uno hoc, quòd neque ipse parvulos

Avus nepotes vidit, aut natos parens;
Nova fulcra gentis; præbituros posteris
Exempla sæclis, & daturos auream
Stirpem nepotum NICOLAÏÆ *Domo,*
VATES *Lycæo*, *Curiæq;* PRÆSIDES.

In Eiusdem Obitum,

IANI DOVSAE FILII

Elegia.

QVantumvis maiorum inter cognata receptus
   Sidera, pene-deos, sidus & ipse novum,
Non lessum lachrymasq; petas, temnasq; beatus
   Sollicito querulos quos damus ore sonos:
Sintq; magis deflendi illi, quibus omnia secum
   Abstulit extremi funeris atra dies;
Et tibi, cantari si tanta cupido, SECVNDVS,
   Cuius laurigeris Musa triumphat equis,
Ille decus Batavæ gentis vestræque, secundum
   Qui nunc Idalio fulget in orbe * iubar,
Nectaris ambrosiæq; vicem tibi multa propinet
   Tinnula mellifluo pectine fusa mele,
Quæ bibat ipsa avidâ aure Cypri Regina, stupēs ut
   Sæpe suas cupiat stando inhibere rotas:

* Hesperus. *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.*

Quippe nec astriferi modulantur suavius orbes,
Sirenesq́ iubent astra tacere suas,
Ad citharam quotiens vocalia solverit ora,
Quæ nunc pro Phœbo temperat una Polum,
Multiplicesq́ novis animat concentibus orbes
Ducens lascivo sidera fulva choro:
Hæc inter quamquam vitâ meliore superstes
Vivis, & æternâ diffluis ambrosiâ,
Clarior haud paullò, quàm si ipsa ad sidera ductus
Vel tua Pyramidum contegat ossa labor:
Non tamen hæc spernes nostros testantia luctus
Verba, pius vestro quæ dat honos tumulo,
ARNOLDE, *ô magni Princeps modò magne Sena-*
Conciliÿ Præses *præsidiumq́ tui,* *(tûs,*
Nec doctis [a] Patruis, *aut inficiande* [b] Parentì
Eximio, & tanto [c] Præside *digne Nepos,*
Præside, *quem propter populos dignata relictos*
Miscuit humanis se dea Iusta locis,
Sidereoq́ iterum terras mutavit Olympo,
Et tulit hinc nisu præpete ad alta Poli
Sublatum rapidis secum per inania pennis,
Quale priùs virgo Gnossias ivit iter.
Nónne vides, nulla ut minitans iã vulnera caudâ,
Sed placidus longo brachia cicuitu
Scorpius explicuit, vario ne in limite cœli
Virginis arderet Spicifiræ [d] *genitor*

a Secundo, Mario, Grudio. b Everardo Nicolai..
c Nicolao Everardo. d Icarus.

Conspi-

Conspicimus solùm; sed vos quoque fulgeretis
Devota ô sanctæ pectora Iustitiæ,
Legibus & Musis nomen fatale: quibusq;
Nec Maro, nec magnus Papinianus abest.
Nil in vos Manes, aut Manibus hospita sedes,
Nil ignava Stygis flumina iuris habent,
Queîs labor & doctæ placuerunt Palladis artes,
Perpes & à nigris fama sequuta rogis.
O Themidis mystæ & Latiæ decora alta Camœnæ,
Perpetuò sanctam queis coluisse Fidem
Profuit, ut vos nunc verum est gaudere, Nepotem
Sidus in antiquis cernere posse novum.
Fatalis postquam numeri compage solutâ
Conspicuo assedit conspiciendus [a] Avo?
Nec procul hinc, avidas quâ cautibus addidit au-
Ausoniâ [b] Patruus nunc trahit astra lyrâ, (res,
Nectar Arionium superans & Thracia plectra;
Fatorum & mortisq; altior invidiâ,
Invidiam Fati queritur, caussaq; tuorum,
Magne [c] Senex, reditus deflet in astra tuos.
Salve digne Poli consors, quem sancta Themistis,
Canaq; subvexit ad sua templa Fides.
Salve, nec te unquam radijs impervia nubes
Fulgentem nostris auferat ex oculis:
Sed tibi tota vacet pars ætheris illa sereni
Quo sese invisâ Diva recipit humo.

a Nicolao Everardo b Secundus. c Nicolaus Everardus.

Teq́; procul videant tremulo fulgore micantem,
Spicum ut Virgineis fulgerat in manibus.

Inseruit hanc Elegiam clariss. Auctor Notis suis Tibullianis, an. cIↄ Iↄ xcII, quum non ita diu ante magno omnium bonorum luctu Præses vitam cum morte commutasset.

Hactenus de Io. SECVNDO, incomparabili Poeta & ingeniosissimo cælatore, deq́ue erudita GENTE NICOLAIA.

LECTORI S.

CVm clarissimus mihiq; amicissimus Io. Isaacius Pontanus nuper admodum apud nos hîc esset, obiterque novam hanc Secundi Poëmatum editionem inspiceret, & laudaret ut reliquis omnibus ante-vulgatis luculentiorē, admonuit Carminum quorundam quæ Lovanij iam olim essent excusa, promisitque exemplar proximè, ex instructissimo viri spectatissimi Ernesti Brinckij Museo, communicaturum. Quod ubi ad nos perlatum esset, pro thesauro, quem speraveramus, carbones (quod ait parœmia) invenimus. Næniam nimirum & Epitaphia in obitum V. C. Thomæ Mori: quæ ipsa nunc primùm ex Ms.to cum aliis ineditis adiunxeramus. Erant Brinckiana illa edita à fratre Hadriano Mario, viro amplissimo, Lovanij A° M D XXXVI. typis Servatij Sasseni. Quo libello Marius secundo ea asserit, quæ falsò D. Erasmo Rot. ac Ioanni Sapido adscripta, depravatissimeq; edita, vulgò circumferebantur. Nos nostram editionem ad illam comparavimus, & nihil variare post diligentem collationem utriusque deprehendimus. Ne tamen operam lusisse vir optimus & doctissimus videretur, Epistolam, quâ Marius fraternorum Carminum vindicias agit, hîc subijciendam, curavimus. Vale.

ADRIANVS MARIVS NICOL. F. Machlinienſis

Servatio Zasseno, *Librario Lovanienſi* S.D.

CVM ex immaturâ chariſſimi fratris mei morte conceptum graviſſimum olorem, conquiſitis undique cùm ex com-uni, ut fit, hominum vitâ, tùm ex Philo-phiâ noſtrâ ſolatiis, mitigare, deiectum-ue ſupra fidem hoc tam acerbo caſu ani-um meum erigere, ac ad ſe reducere ten-rem, neque aliunde mihi præſentius huic alo remedium quærere, nec invenire poſ- viderer, quâm ex ipſâ re, atque ipſis adeo ſius ſcriptis, quæ, invitâ etiam morte, ſpes t, ſuum autorem venturis olim ſæculis ſe-eque poſteritati vividum florentemque que ipſo maiorem traditura. Cùmque deo jam, quod in me erat, curare cœpiſ-m, ut quamcitiſſimè ille reviviſceret, re-igens ſcilicet eum in ordinem ſcripta ip-us omnia, quem ipſe vivus ſibi præſcrip-rat, ut quàm primùm ederentur. Ecce erepentè exortus eſt in Germaniâ litera-or quidam, (quid enim attinet nominare ominem hoc ſolo flagitio notum) qui bo-

nâ me consolationis huius meæ parte frustrari, cum gravi impiaque in fraternos Manes iniuria niteretur. Nactus is, haud scio qua via, aut unde Næniam, quàm in clarissimi viri Thomæ Mori miserabilem cædem Secundus frater conscripserat, Epitaphiumque eiusdem, depravatissime utrumque edi curavit. Illam quidem sub *Erasmi Roterodami* tunc primùm defuncti nomine, ut nimirum mercem suam, tam specioso titulo faceret vendibiliorem, nam quæstum solum spectasse mihi videtur: Hoc verò, cum huiusmodi inscriptione, *Io.* S. In illa, præter alia errata plurima, post primam statim paginam, uno & triginta versibus omissis, seriem tamen homo insulsus continuavit, partesque nihil prorsus cohærentes commisit, salebræ tam rudis asperitate non animadversa, ad quam tamen indoctissimus etiam quisque necessario offendat. In hoc, ad ipsum limen offendens, primum versum, omissa dictione *truncus*, pede uno truncum reddidit. Antepenultimum vero ex pentametro hexametrum fecit, adiectis duabus coniunctionibus, atque ita tres hexametros in elegiaco carmine continuavit. Et invenit tamen homo improbus ineptiæ suæ ac falsitatis imitatorem, qui eadem

dem denuò excuderet, æquè mutila, æquè corrupta, alterum etiam, de Epitaphio loquor, cum inſcriptione mendaciore. Nam cùm prior illa editio id *Ioanni Secundo*, quãquam obſcuriùs, tamen aſſcripſiſſe videri poſſit. Poſterior hæc, quæ id apertè *Ioanni Sapido* inſcripſit, elegantiam hanc ſuam excuſare non poteſt. Hæc, mi Servati, qualiter mihi bilem commoverint, non facilè dixerim. Et impius ſanè ſim, ſi negligam iniuriam fratri, qui mortuus vindicare ſe non poteſt, illatam, tam indignam, tam atrocem; cùm præſertim videam, viros doctos, familiæ noſtræ nulla re præterquam amicitia coniunctos, hanc ipſam, non aliter quam ſibi illatam, indigniſſimè ferre. Inter quos Conradus Goclenius, vir in re literaria princeps, literis etiam ſuis mihi rem hanc, quòd eam me ſcire ignoraret, indicavit, ac libellum inſuper editum miſit, graviter de hominum iſtorum tanta improbitate querens, contendéſque hac occaſione, ut quam citiſſimè fraternorũ carminum editionem maturem. Quæ cùm in ordinem, ut conſtitui, redigi, ac deſcribi tam cito non poſſint, (decem enim ſunt libri,) aſſerere tamen interim, dominoque ſuo reſtituere hæc pauca, ſtatim volui. Nam quamquam

& ipſe ea, dum viveret, quod in Regem Angliæ quibuſdam locis eſſent acerbiora, amicis tantum communicaverit, carminumque ſuorum meditans editionem, hæc tamen ad tempus ſupprimere cogitaret: Et nos quoque poſtea eo defuncto, idem facere ſtatuiſſemus, nunc tamẽ cur id faciamus, nulla eſt cauſſa. Edita enim iam bis ſunt, & mille forſan exemplaribus per hominum manus volant, nihil ab hoc exemplari diſtantia, niſi quod indigniſſime contaminata ſunt illa, ac mutilata, ea præcipuè parte, qua Cæſaris laudes, Reginæque Catharinæ genus continentur. Quare hæc, mi Servati, ad te mitto, ut tuis typis excudas, quam poteris emendatiſſimè, ac evulges. Qua re de Secundi fratris mei, ac amici tui Manibus tam mereberis benè, quàm illi meriti ſunt malè. Vale vir optime, & Goclenium meis verbis ſaluta. Macliniæ.

[ex Museo Petri Scriverij.]

IOAN. SECVNDI ELEGIARVM Liber primus, cui titulus IVLIA.

ELEGIA I.

Pierides alius dira inter bella cruentet,
Vulneraq; ingeminet sæva, necesq; virûm,
Cuius bis fuso madefiant sanguine versus:
Hei mihi, plùs satis est quem cecidisse semel.
Nos Puerũ sanctâ volucrẽ cum Matre canamus,
Spargentem tenerâ tela proterva manu:
Sic ego, sic fanti, radiantibus astitit alis,
Cum face, cum cornu, cum iaculisque Puer.
Fallor? an ardenteis acuebat cote sagittas?
Anxius in vultu iam mihi pallor erat.
Parce tuum, dixi, ferro terrere Poëtam,
Castra parat dudum qui tua sponte sequi,
Imperiumque potens, & regna patentia latè,
Quæ te spumigenâ cum Genetrice colunt,
Carmine vocali patrias resonare per vrbeis
Aggreditur. tuus est: lædere parce tuum.
Ille nihil motus, lunato fervidus arcu,
Accipe quæ (dixit) multa diuq; canas:

Et non ignotæ celebra nunc robora dextræ,
Formaque quid valeat diſce decentis heræ.
Vix ea perſonuit, ſonuit ſimul arcus, & vnà
Cum iaculo in venas ſenſimus iſſe Deum.

ELEGIA II.

CVm nova naſcenti nerent mihi fata Sorores,
Ducentes fuſis ſtamina tortilibus,
Aureolis Puer allapſus Cythereïus alis,
Dixit, in hoc puero ſint mea iura mihi;
Fata canam vates, ſacris abſiſtite cunis,
Arbitrio vivat deficiatq; meo,
Nec mora, procumbens ſinuoſum curvus in arcum,
Si parêre negent, ſpicula dura parat.
Pârent, & Puerum Divæ venerantur. at ille,
Demulcens tenerâ ſtamina dira manu,
Riſit, & Alcides ſpecta hæc fortiſsime, dixit,
Et pudor antiquæ cedat ab ore notæ:
Verba deinde levi recinebat blæſa ſuſurro,
Qualis in arboreis ſibilat aura comis:
Non equidem audivi, nutrix audiſſe putatur,
Et longum gelido diriguiſſe metu:
PARVE, ſub ignoti lumen ſpirabile cœli
Edite, cura Deûm noſtraq; cura puer,
Parve puer, noſtris mox ſudature ſub armis,
Hæc præcepta meæ ſuſcipe militiæ,
Cùm tibi vernanteis ætas exſurget in annos,
Curre lubens Dominæ mite ſub imperium.

Hæc tibi continget, thalamis quæ digna Deorum
Divûm te nitidis anteferet thalamis;
Quæ tibi postponet quicquid legit India rubro
Gurgite, felici gramine quicquid Arabs:
Quæq; tibi gemmis & regum carior auro,
Ingenio vivax surget in astra tuo,
astalioque tibi promens argentea fonte
Pocula, formosâ porriget ipsa manu.
llius è claris me sæpè stupebis ocellis,
Vibrantem occultas in tua corda faceis,
picula stringentem tacito lethalia nervo,
Vt venit ignotâ fulminis ira viâ. (gent?
arve, quid, (heu) lachrymis infantia lumina tur-
Et concussa tremens horror in ora venit?
empus in hæc aliud, puer ô dulcissime, differ,
Cùm tibi tot caussæ, cur lachrymeris, erunt,
uotve sub arboribus, primis aquilonibus anni,
Flavet deciduis tristis ager folijs,
uotve per excultos hortos, in vere rubenti,
Decussis zephyro floribus albet humus.
d tam nil durum, quod non tolerantia vincat,
Et magnum afflictis mentibus ingenium.
cta soporatum dabit in tua brachia collum,
Collaq; languenti cinget amata manu,
culaque, & quicquid superest post oscula dulce
Noctibus in longis continuabit amans.
go iucundo patiens insiste labori,
Nec malus in portu desere nauta ratem.

Vulnificiſque emiſſum oculis haurire venenum,
Alternaſque oculis diſce movere faceis.
Diſce gradum medijs ſuſpenſum ferre tenebris,
Et per dilectas ire, redire vias,
Et rigidos cytharâ poſteis mollire per vmbram,
Sertaque cantatis addere cardinibus,
Dum nocturna tibi demulſerit aura calorem,
Et matutinæ collachrymentur aves.
Diſce levi varias nutu conferre loquelas,
Diſce verecundâ voce diſerta loqui:
Qualia me docuit, per me tamen ante peritus,
Naſo, Tomitanâ non tumulandus humo,
Quem mihi rectorem laſcivos Mater ad annos
Legerat, effrenæ conſcia nequitiæ.
Ille quidem famam Pelignis auxit amando,
Tu quoque cum Belgis non inhonorus eris.
Nec te longa premet caligo mortis opacæ,
Nec teret obſcuro te vetus vrna loco.
Quæ fax ante tuis ſtridebit inuſta medullis,
Hæc, faciam, cineres luceat ante tuos.
Tu modo ſemper ama, nec te tædebit amorum.
Dulcius his noſtri nil habet aula Iovis.
Sæpè quidem infenſus noſtris fuit ille ſagittis,
Et, memini, nuper dira minatus erat,
Arcumq́, & pharetrā fregiſſet, at optima Mater
Noſtra ſub arbuſtis condidit arma Paphi.
Mox tamē ille ferox ter mille per oſcula ſupplex
Oravit de me vulnus habere novum.

Quid Tyrius sine amore torus? quid mensa Falerno
Vda? quid auratis nixa domus trabibus?
Quid iuvat Assyrijs in odoribus elanguentem,
Seu sopor ad cytharas, seu leve murmur aquæ?
Omnia nil sine amore iuvant: sed amore secundo,
Et sopor in durâ blandus humo trahitur:
Omnis & Assyrium tellus aspirat amomum,
Et vincunt humiles tecta superba casæ.
Nil tibi sit terræ tractus aut dicere cœli,
Tethyos aut tumidas rauca sonantis aquas,
Quidve per occasum, quid signent astra per ortū,
Quæq; tenent medium, summa vel ima, locum,
Seu cantare tui victricia Cæsaris arma,
Progenies Matris sit licet ille meæ:
Sed facileis Elegos lento deducere versu,
Qui valeant nostram vincere mollitiem.
Tunc ego te croceis evectum ad sidera pennis,
Parnassi sistam culmine conspicuum:
Quem tibi si Pæan, simul & sua serta negabit,
Monte Cytheriaco myrtea serta geres.
Hæc ter Amor cecinit: Parcæ assensêre canenti.
At Venus excelso risit ab Idalio,
Et Natum miti venientem fovit in vmbrâ,
Quáque odor è nardo, quáque odor è casiâ,
Atque rosa zephyri vitaleis imbuit auras:
Gramen & irriguas palpitat inter aquas.

Secoviæ, 3. Iunij 1554. inter equitandum
majori ex parte effusa.

ELEGIA III.

SI quis erit Iuvenum, Dominæ qui turpe putabit
Vincula in ingenuo pectore serva pati,
Ille quidem certè quid sit Venus ignea nescit,
Et nondum veris incaluit facibus.
Illius obriguit glaciali frigore pectus,
Qui tam dulce pati servitium renuit.
Non onerosa mihi, non est formosa pudori,
Formosas Dominas Iuppiter ipse tulit.
Eheu, quam mea me cæcà face Iulia torret?
Non sic assiduis ignibus Aethna calet:
Nec tanto venas consumitur aridus æstu
Mole sub Aethnæà conditus Enceladus.
Sic agitur primo iuvenis furibundus in igne,
Cui iecur ignoto læsit Amor iaculo.
Nos tamen hanc lentè, cùm sit formosa, feramus,
Et demus victas vincla sub arcta manus.
Scilicet est aliquid specioso carcere claudi,
Et iuvat auratâ compede posse premi,
Illa mihi leges victrix præscribat, & in me
Regia formosis sceptra gerat manibus.
Illius imperio ventos patiemur & imbreis,
Ibimus & solas nocte silente vias.
Nec grave frigus erit, nec solstitium, licet in me
Fervidus ingeminet sidera sicca Puer.

la volet comitem ſibi me quocunque, ſequemur,
Quâ via nulla rotæ pervia, nulla rati.
la meas torret, & torreat vſque medullas,
Prompta tibi ſint heic ſpicula ſancte Puer.
Nec mihi deficiat calor hic hyemantibus annis,
Nec, me cùm tenebris obruet atra dies.
unc detur tremulis illam manibus complectar,
Et fugientem inter baſia fundam animam,
Quæ tunc purpureis labris remorata reſiſtet
Forſan, & inceptum læta redibit iter:
pernet & Elyſias ſedeis, vallemq́ beatam,
Præ tam mellitæ baſiolis Dominæ.

ELEGIA IIII.

MAius alit frondeis, Maio ſine frõde virenti
Ire nefas, mos hoc, Lux mea, priſcus habet.
rgo, age, certemus: tibi, me ſine frõde reperto,
Munus quod niveum pectus adornet erit.
orporis, ô, felix illâ quod ſede fruetur,
Cuius ab aſpectu gaudia mille fero.
At tibi lex hæc ſit, folij viridantis vt orba,
Oſcula cogaris mox dare pauca mihi.
ſcula quæ poſſint fugientem ſiſtere vitam,
Reſtet vbi nullis ſpes medicaminibus,
allidulamque animam Stygiæ ſubducere lintri,
In non conceſſas & revocare vias.
ic ego, depreſſo ſic Lux mea rettulit ore
Pauca, ſed argutis multa loquens oculis,

Basiaque, & mea quo iurabis basia vinci,
Accipies aliquid, si modò victor eris.
Dixit, & os avidum roseo mihi molliter ore
Pressit, &, hoc cape nunc, cætera victor, ait.
Victor ero certè, nec opem Cytheræa negabis,
Si tua, si Nati, numina sancta colo.
Tunc ego lascivæ potero contendere viti,
Quæ se vicinis implicat arboribus.
Nec me hederæ varius superabit in ilice nodus,
Brachia erunt collo sic mea nexa meæ.
At vos purpurei reges ignoscite victi,
Risus erunt vestræ tunc mihi divitiæ.

ELEGIA V.

VNa meas igitur versabit fœmina curas?
Vnaq; mî risus, vnaq; fletus erit?
Vna mihi dulceis facies moderabitur annos?
Quos mihi Persephone non volet esse diu.
Nam seu dura meos illa aversabitur igneis,
Seu facilem sese dat mihi, morte premor.
Nec mihi vita potest duci sub amore sinistro,
Inter mortaleis nec locus esse Deo.
Sed potius moriar te te, mea Vita, tenendo,
Inque tuos humeros funera nostra cadant.
Funera de tereti melius pendentia collo,
Quàm si sublimi de trabe nexa forent.
Qualis Anaxaretes fastum puer vltus amarum,
Flebile curvatâ fauce pependit onus.

Exitus

Exitus aut ſic eſt, aut ſic ſperandus amanti.
O natum triſti ſidere, quiſquis amat!
Sed tamen in melius hæc omina triſtia vertent
Lumina, ſidereïs quæ mihi pro facibus,
Aſpectu læto, torvâ ſeu luce, negantque,
Dantq́ frui vitâ, dantque negantque mori.
Quæſo, negate mori, vitam date lumina, quæſo.
Non ſum, de cuius morte triumphus eat.
Labra columbatim committe corallina labris,
Nec vacet officio linguáve, dénſve ſuo,
Et mihi da centum, da mitia baſia mille,
Da ſuper hæc aliquid, Lux mea, numen ero.
Nec ſuper hæc aliquid, nec vis dare baſia pauca,
Labra nec humidulis continuare labris,
Notaque nec dentis, nec ſunt tibi prælia linguæ,
Exſuperas Latias & tamen ore nurus.
Quas ſuperas facie, iam iam ſuperabis & arte,
Dent modò Dij noſtris verſibus eſſe fidem.
Nos neque Chaonij vincet laſcivia nidi,
Nec Iovis omnivoli deliciosſus amor.
Iam tibi quid proſit faciem corrumpere rugis?
Hæ venient fronti, nec mora longa, tuæ.
Quidve ſupercilijs oculos onerare nitenteis?
Nec totâ nigras ſpargere fronte comas?
Tempus erit, carioſa ſpecu cùm lumina condes,
Canus & in gelido vertice crinis erit.
Tunc fruſtra labris pallentibus oſcula quæres,
Atque aliquem obtuſis figere luminibus.

Nulla corona tuos ornabit florida posteis,
Cantabit muto limine nullus amans.
Quin potius dum fata sinunt, & nigra Sororum
Stamina, ver'q; viret nobile, carpe rosas.
Quæ nisi carpentur, languebunt sponte, cadent'q;,
Et stabit lapsis spina inhonora rosis.
En tibi qui tecum redolentia munera carpet,
Tecum florenteis & parat ire vias.
Sparsa Dionæo viridaria rore teremus,
Visemusque hortos Flora decora tuos.
Illic & violas & purpureos narcissos
Decerpes teneris molliter unguiculis,
Ipse tibi nectam vario de flore corollas,
Imponam'q; tuis, Iulia, temporibus.
Iamque sub umbrosâ recubabis languida myrto,
Et modò me celeri læta sequêre pede,
Iamque coloratâ provoluar lentus in herbâ,
Et modò te celerem per loca læta sequar,
Interea has flammas mihi si duplicarit eunti
Invidus auratâ Cynthius è speculâ,
Tu tu sola meis iucunda caloribus aura,
Humida de roseis flamina funde labris,
Quæ suscepta mei fornacibus oris anheli
Vsq; sub ambusti pectoris ima meent,
Restinguant'q; rogũ, quẽ nec vaga flumina terræ,
Tota nec exhausti frigeret unda maris.
Lumina cui servas aurum iaculantia purum?
Cui tereteis digitos artificemque pedem?

Fascia

Faſcia lacteolis cui ſtat diſtenta papillis?
Cui riſus & cui mollia verba paras?
Cuius diſpoſitus nutritur crinis in vſum?
Oſcula felicis cuius erunt domini?
Ilicet, ingrato ſervaveris omnia nautæ,
Lethæam veteri qui rate verrit aquam:
Huius ab amplexu venies ad baſia Ditis,
Maxima tergeminæ cura timorque Deæ.
In te turba ruent ævi violenta prioris,
Luminibuſq́; cavis, pallidulíſque genis,
Et Paris, & Theſeus, & non bene fidus Iaſon,
Hæc veniet formæ maxima fama tuæ.
Quare ne tibi ſit tanti regalibus vmbris
Poſſe frui, vt vivus ſim tibi vilis ego,
Te iuvet in noſtris poſitam languere lacertis,
Me iuvet in gremio, Vita, cubare tuo.
Et cum ſuaviolis animam deponere noſtris,
Eque tuis animam ſugere ſuaviolis,
Sive meam Lux, ſive tuam, ſed ſit tua, malim,
Ipſe tuo vt ſpirem pectore, tuque meo.
Tali vernantem ſatiemus amore iuventam,
Mors venit æternâ cincta caput nebulâ.
At vos qui iuvenes ſuſpiria noſtra notatis,
Et fractos oculos, & ſine mente gradum,
Ebria ridentes nullo cum pondere verba,
Et ſi quis ſubito venit in ora color,
Poſtmodo dicetis, non infeliciter arſit,
Præmia cùm noſtri nota laboris erunt.

ELEGIA VI.

NVnc mihi Praxitelis digiti, nunc Mentoris essent,
Nunc Lysippeæ, Phidiacæq; manus.
Iulia namque meo sculpi cupit aurea cælo,
Nec tantùm in libris nomen habere meis.
Non ego sum, fateor, cælestem effingere formam
Qui valeam, at Dominæ spernere iussa nefas.
Non ego te, mea Lux, faciam de marmore duro,
Illa decet rigidum materies animum.
Quin & cæla tuos formabunt aurea vultus,
Non facit ad molleis ferrea lima genas.
Iam iam fama meis maior venit artibus, ipsam
Sculpere mî videor cælicolam Venerem.
Sed dum te video, & propiùs tua lumina specto,
AEmula Phœbeis lumina luminibus,
Ferre negant oculi iaculantem spicula vultum,
Cælaque nota negat languida ferre manus,
Deficit, & torpet: nec iam sibi conscius artis
Vllius est animus, nec memor ipse sui.
Ah, nulli fas est mortali effingere divas!
Mens cadit, obstupeo, heu, & mihi surripior.

ELEGIA VII.

INsidiose Puer, Maternis sævior vndis,
Hacne tuus vates fraude petendus eram?
Tu mihi iussisti, numeris levioribus irem,
Assumpsi facileis ad tua iussa modos,

Ma-

Materiesque mihi curvato venit ab arcu
Longa, ſub vndenos digna venire pedes.
Vix opus incepi, Dominam Puer improbe tollis,
Ducis & externas in mea regna manus.
Et nunc ille venit diverſâ ruſticus vrbe,
Prætendens ſancti fœdera coniugij,
Scilicet vt diris faciat ſponſalia verbis.
Impediant illi picus, & anguis iter,
Et cornix inimica vijs, & limine primo
Sentiat offenſi ſigna ſiniſtra pedis.
Quæ ſi non poſſunt illum terrere, quod opto,
Accipiat Divi quod monuêre malum,
Subq́ rotâ ponat odioſam in pulvere vitam,
Multaq́ proiecti viſcera carpat avis.
Aut mergatur aquis, & monſtra natantia paſcat,
Quanta Deo pelagi tunc ego dona feram?
Sic nec in amplexus veniet, nec in oſcula noſtra
Improbus, & ſceleris gaudia nulla feret.
Et iuvenes alios violentâ ſorte monebit,
Vatum delicijs non temerare manus.
At tu, ſive tuos igneis tranſmittis in illum,
Iulia, ſive magis te tua fata trahunt,
Infelix nimis, & querulo mihi carmine flenda es,
Cogeris ignoto quæ comes ire viro,
Et te captivis hominum miſcere catervis,
Eq́ brevi verbo ferre perenne malum.
Ah, poteras, Lux, ah, poteras ius dicere nobis,
Oreque formoſo regia verba loqui,

Inque

Inque meo versu sublimia regna tenere,
Prima fidis nostræ gloria, serus honos.
Inque puellarum, quas olim carmine vates
Laudavêre pij, nomen habere choro.
Qualis quæ falso Nasoni dicta Corinna est,
Deliaque, & Nemesis, & bene culta comam
Cynthia, forma potens, nec non tua Galle Lycoris,
Quarum immortalis forma perenne viret.
Digna quoq; hæc facies quæ carmine lõga videret
Secla, nec in cineres omnis abiret, erat.
Vt sciret nostros ætas ventura furores,
Et tam formosam non violasse fidem,
Et culti iuuenes, non incomptæq; puellæ,
Expertæ dulcem militiam Veneris,
Myrtea serta tuo ferrent violasque sepulchro:
Diceret atque aliquis, sit tibi terra levis.
Et poterant aliquid nostræ præstare Camenæ,
Fata nisi obstarent, & mala faustus Hymen.
Non quia Virgilio primos concessit honores
Posteritas, Flacci sprevit iniqua lyram,
Aut male reiecit, quem protulit Vmbria, vatem,
Sola cui longum Cynthia carmen erat.
Peligni vivent opera ingeniosa Poëtæ,
Rectorem nato quem Venus ipsa dedit.
Nec te longa dies delebit culte Tibulle,
Ignibus atque arcu dum potietur Amor.
Nostra quoque adveniens si non his inseret ætas,
(Quod sperare pudor sit mihi, sitque nefas)

Non tamen obſcurâ damnabit nomina nocte.
  Fallor? an hoc olim mî Dea pollicita eſt,
Fragrantem quæ nexa comam, myrtoq́; decora
  Vadit inæquali conſpicienda pede?
Quàm bene priſcorum currebat vita parentum,
  Ingenuæ Veneris libera ſacra colens?
Nondum coniugij nomen ſervile patebat,
  Nec fuerat Divis adnumeratus Hymen.
Paſſim communes exercebantur amores
  Omnibus, & proprij neſcius orbis erat.
Enſe maritali nemo confoſſus adulter
  Purpureo Stygias ſanguine tinxit aquas,
Anxia non tenuit cuſtodis cura puellam,
  Nulla erat inviſis clauſa domus foribus,
Nec ſacer agricolis ſtabat lapis arbiter agro,
  Trabſque procelloſum nulla ſecabat iter.
At poſtquam domibuſque fores, foribuſque ſubivit
  Clavis, & æquoreas navita ſprevit aquas,
Non dubitans animam tenui concredere ligno,
  Externas fragili puppe ſecutus opes,
Diſcretique novo iacuerunt limite campi,
  Indixit leges & ſibi quiſque novas,
Scilicet ex illo ſenſit fera iura, iacetq́;
  Clauſa pedem durâ compede ſerva Venus.
Mortales ſceleri leges præſcribite veſtro,
  Innocuam vinclis nec cohibete Deam.
An quia Lemniacis ſemel eſt eluſa catenis,
  Digna erit à vobis quæ graviora ferat?

Tempora

Tempora, si fas est, iterum primæva redite,
Falciferoq́ iterum sub sene mundus eat.
Inscia tunc rastri, tunc vomeris inscia curvi,
Sponte suâ segetem terra benigna feret,
Et repetent iterum desertas Numina terras,
Et fruar, ô, longum tutus amore meo.
Interea qui falce meas invadere messeis
Ausus es, vt voto iam potiare tuo,
Aßiduis versuta dolis te rideat illa,
Nec tibi componat se, faciemque suam,
Sed iuvenum gregibus studeat formosa videri:
Sic miser, & nulli commiserandus eris.
Quippe nec indignum fecisse putabitur vlli,
Si fugit amplexus bella puella tuos:
Si fugit hanc faciem qualem Medea gerebat,
In natos gladio cùm ruitura stetit.
Hanc tamen illa potest pacato cernere vultu,
Nec spuit? obductâ nec tegit ora manu?
Hanc spectare potes? corpus potes illud amare,
Iulia? sed capitur, dicis, amore mei.
Non ardenter amat, & amat non dignus amari,
Et sunt mille alÿ quos tua forma rapit.
Iamq́ diem video properantem, cùm tuus illi
Et gravis aspectus, & grave nomen erit.
Iulia, tum lentas producens frigida nocteis,
Optabis nostras in tua colla manus.
Iulia, non veniam; veniet, querulumq́ subibit
Ille, peregrino lassus amore, torum:

t tecum, mea Lux, meliori digna cubili,
Vallatus densâ veste iacebit iners.
unc potes æternis hoc vnum poscere votis,
Vt properent longas Fata tibi tenebras.
ırcite Fata tamen. formosas perdere crimen:
Gloria vos aliâ de nece magna manet.

ELEGIA. VIII.

ERgo dies venit, quâ se formosa mariti
Dedet in æternum Iulia servitium?
Quâ nostras aliò cogar traducere flammas,
Quâ delenda animo est illa adamata mihi,
Quantum nulla fuit, quantum nec amabitur vlla,
Seu me vita brevis, seu diuturna manet.
ımque peregrinæ committit fœdera dextræ,
Fœdera quæ Divi iam violata volunt.
Iox dapibus, levibusq́; dies peragenda choreis,
Et sine me tota est, tota sit atra, precor.
hæbe, coloratum, si te bene credimus olim
Esse sacris patrem vatibus, abde caput.
t tu tela manu iaculare corusca rubenti
Iuppiter: hac solâ luce sit alba dies.
ıque Iovis coniux, quantum connubia cures
Talia, demissis amnibus ipsa doce.
ıllimur? an certè condit sua Cynthius ora?
Condit, & obscurâ nocte teguntur agri,
ræcipitantur aquæ, mare pendet in aëre densum,
Ignibus excussis dissiluêre poli.

ELEGIA IX.

Ad Petrum Clericum.

PEtre, sodalitii pars sincerissima nostri,
Felix Maclinia cui licet vrbe frui.
Me tenet Augusti celebris Bruxella triumphis,
Fontibus æternas quæ iaculatur aquas.
Heic mihi nec desunt gratissima turba Poëtæ,
Nec quibus à linguâ divite venit honos,
Quorum posteritas operoso grata labori
Nomina sub longâ luce videnda dabit.
Hîc veterumq; manus animato miror in ære,
Subque meum aspectum turba togata venit,
Multaq; quæ gentis æquant miracula priscæ,
Quæ modo Romulidum dædala mittit humus.
Scilicet argutis vrbs hæc me ponit Athenis,
Scilicet hîc mediâ sistor in Ausoniâ.
Mille vel hîc oculos possunt retinere, vel aureis,
Nulla tenent aureis, nulla tenent oculos.
Non queat hoc alius præter te credere quisquam,
Fortè nec ipse queas credere, crede tamen.
Nimirum nostri iampridem conscius ignis,
Vna geris mecum pectore tela tuo.
Vnius ex oculis fax est accensa puellæ,
Qua iecur Idalius torret vtrique Puer.
Quæ tua si forsan leviter præcordia lambit,
Quam tibi duritiem pectoris esse putas?

Mî

Ii neq; lux, neq; mî noctis levat vmbra dolorē,
Vror, & in venis flebile vulnus alo.
emper in absenteis suspiro mœstus amores,
Inque Cupidineæ mœnia Macliniæ;
la sed abscessit, peregrino iuncta marito,
Quâ voluit virideis in mare Scaldis aquas.
Abscessit: doleo. quid tum? vestigia restant,
Et loca quæ nobis gaudia longa dabant,
t si isthic fuero, fuero vicinior illi.
Esse putas hæc tu ludicra? magna loquor.
um quam multa foro nova sisteret esseda vesper,
Noxq; rateis tardâ sera referret aquâ,
se rateis omneis audax speculator obirem,
Cunctaq; defixis esseda luminibus,
quæ fortè meam mihi redderet hora puellam,
Seu vectam Veneris suave sonante rotâ,
u raptam tereti vada per crystallina conchâ,
Seu lapsam roseo Cypridis è gremio,
am neque te retinet coniux tuus, aut tibi longis
Noctibus incumbit, Iulia, pondus iners.
Venus Idalios inter fovet aurea lucos,
Et Venerem geminam nunc locus ille colit.
pposuit pro te scortillum turpe marito,
Afflavit vultus cui decus omne tui:
rbarus ingratis illam complexibus vrget,
Teliger intactam te mihi servat Amor.
s ego solarer curas, dum tempora nobis
Tarda fluunt, ægras inter amarities.

Hoc quoque (nam poteris plures admittere caussas)
Visere Macliniam cur properemus, habe.
Inter finitimas, experti credimus, vrbeis
Illa sibi formas vendicat: illa daret
Forte novas flammas, veteres quæ pellere possint,
Hei mihi, sed vereor, (Dij prohibete malum)
Ne calor hic aliâ possit consistere sede:
Hactenus hunc certè Iulia sola tenet.
Candida quantumvis, & non deformior illa,
Et versatilibus ebria luminibus,
Sæpè meos oculos in se Domitilla moretur,
Oscula quæ facilis ad mea sponte venit.

ELEGIA X. SOMNIVM.

ITe procul mæstum lachrymæ genus, ite querelæ,
Et comes aligeri cura vigil Pueri,
Cinge triumphanteis victrici fronde capillos
Laurea Phœbææ grata corona comæ,
Misit in amplexus illam Venus aurea nostros,
Prima mihi quæ fax, quæ mihi serus amor.
Non fora, non portus, non iam populosa theatra,
Templaque sunt nostris conscia blanditijs.
Mater abest, digitis legem quæ ponat, & ori,
Et cogat tremulo murmure pauca loqui,
Osculaque aridulis non continuanda labellis
Carpere, quæ iuret barbara, quisquis amat,
Et cælare faceis, & amici obtexere nomen,
Multaque quæ solers fingere discit amor.

Sola iacet mecum ſemoto Iulia lecto,
Sola tamen ſolos non ſinit eſſe Venus,
Et Puer, vnanimeis comitatus in omnia vitas,
Certus & exanimeis, certus & oſſa ſequi.
Fortè vident & nos, qui ſpectant omnia, Divi,
Delicijs noſtris invidioſa cohors.
Dij precor, ô noſtris ne luſibus invideatis:
Non ego nunc veſtris luſibus invideo.
Iulia, te teneo: teneant ſua gaudia Divi.
Te teneo, mea Lux; Lux mea, te teneo:
Iulia, te teneo: Superi teneatis Olympum.
Quid loquor? An verè, Iulia, te teneo? (hæc?
Dormio ne? an vigilo? vera hæc? an ſomnia ſunt
Somnia ſeu, ſeu ſunt vera, fruamur age.
Somnia ſi ſunt hæc, durent hæc ſomnia longùm,
Nec vigilem faciat me, precor, vlla dies.
Et quicumque meo pones veſtigia tecto,
Parce pedum ſtrepitu, comprime vocis iter,
Sic tibi non vnquam rumpant inſomnia galli,
Tardaque productæ tempora noctis eant,
Plurima cum rubris tibi gemma legetur ab vndis,
Pactolique domus tota liquore fluet.

ELEGIA XI.

HOs tibi, sãcte Puer, primos ſacravimus igneis.
Has tibi primitias dedico, ſancta Venus.
Dij, quorum noſtri vivent ſub nomine verſus,
Sæpè colenda Venus, ſæpè colende Puer.

Hactenus optato dant indulgere furori
Et mos, & leges, purpureusq́ue pudor,
Hactenus &, (credo) vos me voluistis amare,
Iamque mihi iaculi ferte medentis opem,
Et quod inaurati terebratum cuspide teli
Sollicitum toto pectore vulnus hiat,
Sentiat arcanas obtusâ in arundine vireis,
Mox dolor, & questus, & labor exul eat.
Halitibusq́ue increta meis suspiria, cumque
Languida spinoso cura satellitio.
Tunc ego vos dicam mitissima numina Divûm,
Ipse Deûm sine queis Rex quoque tristis erit.
Corq́ue geram vestris semper penetrabile telis,
En patet in vulnus pectus inerme novum.
Non ego desertor fugio quæ castra sequebar,
Abscecuit longas spes properatus Hymen.
Ah, Hymen genus Vraniæ, cur Thespia rupes
Non te detinuit, Lympha nec Aonia?
Cùm te nigra dies invisa ad sacra vocabat,
Et pactum infaustis coniugium alitibus.
Ipsa vbi Tisiphone tædas à funere raptas
Ferali tenuit, omina dira, manu.
Nonne fuit satius cantus haurire sororum,
Cernere vel sacræ quâ fluit humor æquæ?
Veste Deas posita teretes abscondere suras?
Quàm miseram turpi dedere servitio?
Et me, cui Cypris tot basia mitis alebat,
Exturbare meæ brachiolis Dominæ?

Quæ nunc, in longâ raucescens mæsta querelâ,
Discit amatoris omina vera sui?
Heu, quæ non longo meditabar gaudia ductu?
Vnde nihil, præter somnia vana, fero?
Sic segete ex viridi flavas præsumit aristas
Rusticus, atque animo iam sua vota metit,
Vota quibus miserum grando fraudabit & imber,
Seu validi flatus, fulmina sive Iovis.
Sed quid ego toties Fatis contendere pergo?
Quæ non mutandis stant rata limitibus?
Tu Puer, ô, Puerique parens, Iove nata Dione,
Solvite me ingratis sollicitudinibus.
Et mihi, si merui, nocituras demite flammas,
Ne sim famosis fabula porticibus,
Vinosasque meo producant nomine mensas,
Ignorentq́; malum compita nulla meum.
Et, si quando novo pallentem afflabitis igne,
Efficite ut miserum me iuvet esse diu.
Et mihi feliceis extendant gaudia curas,
Dum veniant capiti candida fila meo.
At quocumque mei tabescent lumine vultus,
O, saltim possim dicere, talis erat,
Nobile quæ parvo nomen sortita libello,
Prima meæ spolium Iulia mentis habet.
Interea hos Elegos, primi monimenta caloris,
Accipite, & risum iungite cum gemitu,
Dicẽtes, nostri pars hic quoque parva triumphi est,
Semper amet dulci semper amore fruens.

ELEGIAE SOLENNES TRES,

consequentibus tribus post adamatam Iuliam annis, mense Maio Cupidini dedicatæ.

ELEGIA SOLENNIS I.

TEmpus adest iterũ, quo stat pulcherrima tellus
Effundens varijs germina seminibus.
Nigrescit viridi velata cacumine sylva,
Garrula flebilium carmine Dauliadum,
Illa sonans tremulùm zephyro spirante, viroris
Tempora conqueritur non diuturna sui.
Ipsa novo Cytheræa choros agit aurea mense
Nuda coronatas inter Hamadryadas,
Quas inter medius tenero pede gramina pulsat
Candidus in croceâ veste protervus Amor.
Hæc sacris nostræ semper solennia Musæ
Tempora, (Dij magni sic voluistis,) erunt,
Sive peregrinum via me deducet in orbem,
Sive sub ignoto sidere pontus aget.
Hic etenim nostros primùm pallescere vultus
Mensis, & evinctum vidit acerba pati,
Aligeriq; faceis oculis gressuq; fatentem
Ire vacillanti per loca sola pede,
Et Dominæ servare foreis, pluviasq; molestas,
Et sævas boreæ non timuisse minas.

Vidit

Vidit & ille idem carpentem gaudia mille
Lenibus ex oculis molle tuentis heræ.
Ergo, Puer, venis hominum qui ſpicula tingis,
Inſeris & mœſtis gaudia lachrymulis,
Hæc affixa cape Maternæ carmina myrto,
Annua quæ ſemper, ſis modò mitis, erunt.
At vos florenti, Iuvenum grex floride, Maio,
Genſq́ puellaris delicioſa chori,
Non intellectum dum ver fugit, & fugit ævum,
Ludite, iam glaciem Bruma niveiſq́ feret,
Canaque ſubrepet taciturnis paſſibus ætas,
Morſque tenebroſâ nube revincta caput.

ELEGIA SOLENNIS II.

ET cœli facies, & rerum mitis imago,
Pictaq́, quæ vario flore renidet, humus,
Pendulaq́ obſcuris diſtincta vmbracula ſylvis,
Blandaq́ ſylveſtreis quæ movet aura comas,
Antraq́ cum Satyris fusæ per opaca Napeæ,
Et Puer arcitenens, & Venus ipſa monet,
Adventare meis iterum ſolennia ſacris.
I, puer, vnguentum fer mihi, fer violas.
Vina coronatis ſpument nigrantia menſis,
Nec ſine multiplici ſtet mihi flore caput.
Impoſitæ fronti mecum languete corollæ,
Ad latus accedat fuſca puella meum,
Quæ nigris oculis & nigro crine decora,
Antiquæ memorem me facis efficiat,

Nec peiora meis infigat basia labris,
Serpat in amplexus nec minus apta meos:
Quam quæ prima suis victum me cepit ocellis,
E fastu referens prima trophæa meo.
Vos quoque Pierides, ad tempora læta vocatæ,
Fundite concordeis ore favente sonos.
Primus ego ingredior, nullo de more, sacerdos
Annua nequitiæ ponere sacra meæ.
Transeat hic, positis immota per aëra ventis,
Et sine nube dies, & sine sole gravi,
Transeat hic totus sine sollicitudine mensis,
Hei mihi, de Maiâ qui male nomen habet!
Vel Veneri dominæ, vel, si sibi legit Aprilem,
At Puero Veneris debuit esse sacer.
Quamvis Maia Iovi iucundo cognita furto
Formosum peperit candida Nympha Deum,
Insignem nervis, insignem voce disertâ,
Conspicuumq́ genis, conspicuumq́ comâ.
Ille velit mecum materno applaudere mensi,
Implicitus multâ tempora flava rosâ,
Ebriaq́ in longâ ducens vestigia pallâ,
Argutum facili pollice pulset ebur,
Quem circumsiliens huc illuc crure protervo,
Lascivus domito vate triumphet Amor.
Atque eadem gravidâ depromat tela pharetrâ,
Quæ primum venis irrubuere meis.
Ac petulante ferox insultans voce iacenti,
Verset in aspectu spicula nota meo.

Tunc ego commonitus iuratum ſolvere votum,
Perficiam toto ſacra iocoſa toro.
Hæc quoque quæ cecini, ne quid ſolennibus abſit,
Suſpendam myrti carmina de folijs,
Quæ ſtrepitent teneris adſuſpirantia ramis,
Pulſa ſuſurranti leniter à zephyro.
Accedet verſus, VATES TVVS, ALME CVPIDO,
HÆC TIBI PRO MITI DEDICAT IMPERIO.

ELEGIA SOLENNIS III.

ILle ego, qui Maio ſolennia carmina menſe
Suſpendi templis, ſancte Cupido, tuis,
Cùm melior tellus meliore in amore teneret,
Mulcentem tepido pectore dulce malum,
Nunquid ab hac poteram liber deſiſtere curâ,
Evectus dulci tam procul à patriâ?
Tam procul antiquo infelix diviſus ab igne,
Qui primùm noſtris oſſibus incaluit?
Quin etiam, te autore, graveis expertus amores
Cùm fuerim, & Dominæ regna ſuperba novæ,
Quum mihi crudeli faceret ludibria vultu
Inſultans capiti torva Neæra meo,
Certè ego ſi pacto iuratus ſtare recuſem,
Vnde petam veniam, vel tua Mater erit.
Illa ſuâ fixum conſervat in arbore carmen,
Annua devovi quo tibi ſacra Puer,
Dum mihi manſuetas afflares leniter auras,
Durus ades, duro frigeat ara Deo.

An,

An, mea si Lybicas navis ditaverit undas,
Aurea Lædeis dona feram pueris?
Aut, ego si moriar longinquis exul in oris
Decernam reduci sacra opulenta Iovi?
Abnuat hoc hæres, &, si sub iudice certet,
Turpiter à causâ Iuppiter ipse cadet.
Vltriceis igitur tædas metuemus, & arcum,
Plusquam fulminei fervida tela patris?
Iuppiter ignoscas, cedunt tua sceptra Nepoti,
Et trifidum Pueri sub face fulmen hebet.
Illius æternis halabunt templa corollis,
Vndabit pecudum sanguine pingue solum,
Mascula sudabunt verbenæ thura perustæ,
Et focus in vivo cespite semper erit.
Ipse ego, nude Puer, signum tibi nobile ponam,
Quale Gnidus matri servat aquosa tuæ.
Aureus in niveâ ludet cervice capillus,
Aurea cum fulvâ tela dabo pharetrâ.
Penna duplex humeris auro radiabit, & arcus
Ille nocens, Parium cætera marmor erunt.
Proxima ponetur, (nec erit tibi, Sancte, pudori,)
Vatis amatoris Iulia sculpta manu.
Interea roseo demus sua carmina Maio,
Sæpius vt remeans floreat ille mihi.
Maius alit flores, Maio pulcherrimus annus
Vernat, Acidaliæ gaudia Maius alit,
Spem segetis, spem Maius alit florentis Iacchi,
Spes, memini, quondam fovit & ille meas.

t primos miſeri gemitus audivit amantis,
Et primas lachrymas vidit, & indoluit.
unc Zephyrum ſocias mecum miſcere querelas,
Quâ tremit ignotis vmbra ſub arboribus,
t tepidum lachrymas iuſsit ſiccare cadenteis,
Solis ad afflatum ros vti vernus abit.
Iaie decus menſum, paſtorum Maie voluptas,
Dives opum, Terræ luxuriantis amor,
En tibi cum Puero communia ſacra volucri,
En tibi purpureâ ſpargitur ara roſâ,
Et nova cantamus ſolenni carmina plauſu,
Quæ tibi parve Puer, quæ tibi Maie damus.
Adſis, & faveas florum Dea verſicolorum,
Te roſa, te violæ, te thyma cana vocant.
Narciſſus tibi ſuave rubet, tibi lilia fulgent,
Candida virgineâ lilia carpta manu,
Omnia dotaleis olim quæcumque per hortos
Nutrit amatoris fertilis aura tui.
Ecce tibi noſtri cedit pars tertia ſacri,
Linque tuos hortos, Diva iocoſa veni,
Qualis eras Zephyro, cùm te formoſa ſecutus
Securam pennis mollibus implicuit.
Qualis ab ætherio ſpectabas culmine ludos,
Quos tibi ſolenneis Martia Roma dabat.
Romanis tibi pro ludis Romana Secundus
Carmina, diverſa cantat in Heſperiâ,
Quâ rutilas Tagus aſsiliens eiectat arenas,
Sub matutinis cantibus alituum,

Carmi-

Carmina spectaclis longè potiora vetustis.
Sustulit hæc ætas, illa perenne manent.
O, ita, cum blando blandissima Mater amore,
O, ita Bacche velis, ô, ita Phœbe pater,
Semper vt illius maneant monimenta caloris,
Quem movit tremulis ignea luminibus,
Magnum quæ parvo nomen sortita libello,
Prima meæ spolium Iulia mentis habet.

IOANNIS SECVNDI ELEGIARVM Liber Secundus,

ELEGIA I.

CVi damus hos Elegos? tibi, qui legis ista libẽter,
Cui micat in læta fronte serena Venus.
Seria qui curas, procul hinc age seria, ferri
Nos sine, quo Pueri iura volantis agunt.
Tempora quam longum iucundo florida vere
Stant, neque nix atris crinibus vlla venit,
Et Nymphæ, & Charites, & capripedes Sylvani
Et silvæ, & virides sint mihi carmen aquæ,

it Venus, & Veneris lateri laſcivus adhærens,
Gaudia qui curis dulcia miſcet Amor.
Cum glacialis hyems calidos extinxerit æſtus,
Naturæ libeat tunc mihi ſcire vias,
mmenſumq́ſuis ſectum regionibus orbem,
Quæque malum ſpondent ſidera, quæq́ bonum.
Non ego Virgilij maneis Acheronte ciebo,
Florida ſacrato ſerta ferens tumulò.
Per me Mæonides ſecurâ dormiet vrnâ.
Aſcræo cineri victima nulla cadet.
), tantùm faveas Vmbri levis vmbra poëtæ,
Cynthia ſi noſtro ſemper in ore ſonat.
Tu caput hoc circùm pennis allapſa ſonoris,
Ter ſtrepe, procumbens ter bona verba canam:
Deinde vbi Panchæo fumaverit ara vapore,
Placatum Lethes & mihi numen erit,
Iſperſam lactis niveo te rore remittam,
Cynthia ne charo vate ſit orba diu.
gnavæ tenebræ, longiq́ oblivia ſecli,
Quæſo, ſoporiferas hinc cohibete manus:
Hunc etiam Veneris ſervat tutela libellum,
Hunc etiam ſacrâ luſtrat Amor faculâ.
i tamen iſta cadent ſenio defecta caduco,
Et fiet nomen litera trita meum,
Aequius occumbam ſi, poſt mea fata, ſuperſtes
Nicoleus frater, vixerit aut Marius.
atis amor vates, germani gaudia fratres,
Carmine fas veſtro ſit supereſſe mihi.

Inge-

Ingeniose Mari, ventura in secula tecum
Me tua cymba vehat, non grave pondus ero.
Cymba, renidentem quâ mutet Cypria concham,
Quamque columbino præferat ipsa iugo.
At tu formosas Dryadesq; & Naiadas inter
Rure tuo sedem da mihi, Nicoleωs.
Tu divina canis Serrati culmina montis,
Is tibi monstravit primus in astra viam,
Laurigeroq; cavas ferienti vertice nubeis
Ad iuga Parnassi iam leve fecit iter.
Barbarus ad ripas nuper te Cynga canentem
Audijt antiqui delicias Latij,
Narcissum vitrei morientem fontis ad undam,
Florem de riguis purpureum lachrymis,
Omnes vt puerum suspiravêre puellæ,
Omnes vt puerum deperiêre Deæ,
Vt puer instanteis sprevit per rura puellas,
Vt puer erranteis per nemora alta Deas.
Quarum quæ flammis arsit gravioribus Echo,
Cantibus applausit Diva canora tuis.
Ipse tuos numeros tenebris audivit ab imis,
Vritur & proprio iam magis igne Puer.
Nec speculum Stygiæ modò cõsulit amplius vndæ,
Emicat in versu pulchrior ille tuo.
His allecta modis pridem superasse putatur
Læta Pyrenæas Calliopéa niveis.
At tibi pro merito felix Hispania lauros
Virgineas hortis seligat Hesperijs,

Et

Et tibi Cyngiades intexant ordine Nymphæ
Narcissos lentæ puniceos hederæ.

ELEGIA II.

TEmpore cur dicto cessas, Venerilla, venire?
Ecce tibi torus est, ecce parata Venus,
Qualem Tyndaridi, spatiosa per æquora raptæ,
Tutus in Iliacâ soluit adulter humo.
Ipsa Venus violis, & puniceis amaranthis,
Et totum Cyprio sparsit odore torum.
Ipse torum face lustravit flammante Cupido,
Transiliens agili candida fulcra pede.
Quid cessas, formosa? tuum sic ludis amantem?
An magis, exiguo tempore discrucias,
Obsequio ut meliore moram lasciva repenses?
Dilatusque avidâ mente bibatur amor?
Ah, nimiùm mihi tarda, & tardâ tardior horâ,
Quam male dinumeras tempora, quæ numero?
Sed cur dinumeres, cum malis fallere amántem?
Forsitan hæc alijs hora parata fuit.
Dumq; ego blanditiasq; tuas, & roscida mente
Oscula præcipio, multiplicesq; viceis,
Dum vacuum falsis complexibus aëra capto,
Dum mea in absenteis porrigo colla manus,
Et, quèmcunq; movet strepitũ levis aura per ædeis,
Dilectos Dominæ suspicor esse pedes:
Demulces alium tepido periura cubili,
Cum quo disperdas gaudia pacta mihi.

Forſitan & de me, teneros motura cachinnos,
Miſcetur veſtris fabula nequitijs.
Hei, quid in immeritā tam turpia crimina fingo?
Credo equidē, facileis iam movet illa gradus:
Iamq; pedem thalamis ponet cultiſsima noſtris.
Fallor? an in noſtro limine latrat Hylax.

ELEGIA III.

FLammeolis, mea Lux, oculis cùm cūcta peruras,
Frigidius Scythicâ cur nive pectus habes?
An malus ille Puer, terror Matrique, Iovique,
Quòd tam formoſa es, lædere te metuit?
Non metuit certè. taleis amat ille triumphos,
Et formoſarum vulnere ſemper ovat.
Lumina ſed radijs tua non cedentia Phœbi
Idalias hebetant diſcutiuntque faceis.
Ille dolet, rubor ora calens puerilia ſignat,
Vix, ô, vix lachrymas lumina torva tenent.
Lente Puer, Matrique pudor rediture dolenti,
Mitte facem, iaculis hæc tibi præda venit.
Aut ſi formoſum non vis tranſigere pectus,
Candida ne livor membra cruorve notet,
Extinctas faculas Dominæ ſub lumina mitte,
Illa iterum flammas quas rapuêre dabunt.
Mox vbi languidulam carpet nocturna quietem,
Clauſerit atque illi ſidus vtrumque ſopor,
Ignaram totis furtim ſuccende medullis,
Hauriat & longum corde tepente malum.

At tibi, si monitis veniet victoria nostris,
Sancte Puer, vatem mitiùs vre tuum.

ELEGIA IIII.

CHara meum gelidâ ferijt nive Lydia pectus:
Dicebam, flammis hæc, puto, tela carent.
Nec caruêre tamen, sub aquâ latuêre favillæ,
Flammaque per venas stillat aquosa meas.
Hei mihi! securi quâ declinabimus ignem,
Frigore duratas si metuemus aquas?
Frigore fax nata est, tolletur frigore nullo,
Sperandum simili de face frigus erit.
Sume pareis igneis, miserumque levabis amorem,
Lydia, frigoribus semper acerba noces.

ELEGIA. V.

NOn tam mite mihi pectus Natura dedisses,
Calcaret nostrum nulla puella caput.
Nec paterer toties tumidi ludibria vultus,
Iratisque oculis oscula blanda darem,
Rivalemque meum Dominâ laudante probarem,
Adstrictus turpi sedulus obsequio.
Dura puella, puella meis indigna Camœnis,
Alpinis animum frigidior nivibus,
Ementita tuæ facio præconia formæ,
Vt qualis non sis, esse putêre mihi.
Te laudo vates, laudatam amplectitur alter
Barbarus, & nostros arrigit ad numeros.

Aspicio fractosque oculos, & colla notata
  Dentibus, & quasso non bona signa toro.
Diceris interea, fateor, castißima nobis,
  Multaq; narramus de probitate tuâ.
Tu quoque mentitum nē me rear, ore pudico
  Respuis vsque meas, dura Neæra, preces.
Cùmque aliȷs toto pateat tua ianua poste,
  Multus & è foribus lassus amator eat:
Vni casta mihi perstas, hæc præmia vates
  Debita pro falso munere vanus habet,
Heu crudelis Amor, tuq;, ô, crudelior illo,
  Sive hostis, seu non, pulchra Neæra tamen.
Tempus erit certè, curis cùm liber amaris,
  Excutiam vestras dispiciamq; faceis.
En mihi iam silices, en circum pectora ferrum
  Nascitur, & vinco vos quoque duritie,
Infidum genus, ah, nuper mea cura, puellæ,
  Mentis pernicies insidiosa bonæ,
Non ego vos posthac humili prece lentus adibo,
  Asperaq; obtutu verba feram tacito,
Læsus & à vobis, læsas vos esse fatebor,
  Et placatrices ipse feram lachrymas,
Contemptusque superba pedes ad limina cogam
  Invitos, pereat quem iuvat ista pati.
Dura Neæra, Neæra meis indigna Camœnis,
  Alpinis animum frigidior nivibus,
Non ego, cùm veniet pallæ melioris amator,
  Quælibet abscondam iussus in antra caput:
Scili-

Scilicet vt poßis, Divis iurare vocatis,
Per caput illius, perfida, perque tuum,
Illi te viduas intactam ducere nocteis,
Et tritum nullis limen habere viris.
Non ego, cùm veniet loculi gravioris amator,
In famulas vertam basia nostra tuas,
Scilicet vt ridens dicas, Ignosce protervo,
Insanit famulæ captus amore meæ.
Hæc quicunque potest nullo perferre dolore,
Idem Caucaseas & tolerabit aveis.
Sysiphij gaudens provolvet pondera saxi,
Tantaleæ sitiens non inhiabit aquæ.
Ille premet gemitum, conclusus in ære Perilli,
Ne det mugitus machina fumificos.

ELEGIA VI.

SAucius Aligeri languebat arundine quondam
Moxq; necis gelidæ spicula sensit amans,
Corpore in exsangui restabant tela duorum:
Hæc vulsura suum venit, & ille suum.
Vulsit Amor nigrum sceleratâ cuspide ferrum:
Heu, quid agis? non sunt hæc tua tela, Puer.
Spicula Mors sumpsit manibus radiantia furvis,
Cessit in aërias & malè sana vias.
Nec mora, digreßi repetunt lachrymabile munus,
Ille suos quærit, quærit & illa suos.
Missa peregrinis sparguntur vulnera nervis,
Et manus ignoto sævit vtrinque malo.

Irrita Mors arcus validi molimina damnat:
Plorat Amor teneras tam valuisse manus:
Donec, fallaci repetito sæpius ictu,
Erroris sensit crimen vterque sui.
Fœdabant iuvenes primas in pulvere mâlas,
Oscula quas, heu, ad blanda vocabat Amor.
Canicies vernis florebat multa corollis,
Persephone crinem vulserat vnde sibi.
Quid facerent? falsas procul abiecêre sagittas:
De pharetrâ iaculum prompsit vterq; novum.
Res bona: sed virus Pueri penetravit in arcum.
Ex illo miseros tot dedit ille neci.

ELEGIA VII.
Alieno nomine, & in gratiam Consalvi Perezij Hispani conscripta.

SI qua venit summo positis in culmine rerum,
Illa ruina suo pondere magna venit.
Mitiùs infelix accusat fata colonus,
Arida depositum si malè solvit humus;
Quàm si, maturis quæ iam flavebat aristis,
Succumbat pluvijs imbribus atra seges.
Cùm rudis à primo religavit littore funem
Nauta, necaturas leniùs haurit aquas:
Idem, permenso patriam si viderit orbe,
Canaq; navifragis fluctibus ora tegat
Heu, quæ non tumidâ iactat convicia linguâ
Cæruleis Nymphis, cæruleoq; Patri?

Exper-

Expertus queror, ah, mendaci lusus amore;
Non minor est illis nostra querela malis.
Vrebat formosa meas Iustina medullas,
Digna Iovis thalamis, sed magis apta mihi.
Candor erat, qualem Veneris flos albus habebit,
Purpureo Bacchi si natet in latice.
Lumina fulgebant nitidis æquanda lapillis,
Quos niger Eoâ colligit Indus aquâ.
Illorum ex acie torsit nova tela Cupido,
Plusq́, ait, hæc nostris arma furoris habent.
Vera Deus monuit. sed enim, quia dignior illâ
Nulla fuit titulum cladis habere meæ,
Sustinui indomitas obiecto pectore flammas,
Sensus & ex tanto vulnere parvus erat.
Sic aliquis, Bacchoq́, animum furiatus & irâ,
Sumpsit vbi attonitâ fervidus arma manu,
Irruit in gladios, & centum vulnera passus,
Viribus infractis acer ab hoste redit,
Abstergens tepidos & pro sudore cruores,
Quàm sentire queat conspicit antè malum,
Donec succiduo tellurem poplite quassans,
Corruit, & fuso sanguine vita fluit.
Repit Amor sensim totos infusus in artus,
Suscitat vt magnos parva favilla rogos.
Pallorum nostri tam mirabantur amici,
Demissosq́, oculos, instabilemque gradum,
Ridentes gemitusque meos, & inania verba,
Roranteisque novo sæpè liquore genas,

Nec mihi luce graves aberāt neque nocte dolores:
Nec mihi grata Ceres, nec mihi Bacchus erat.
Irrita lucebant obſcuro ſidera mundo,
Cynthius obductâ nube premebat equos,
Et ſine frōde frutex, & erat ſine gramine campus,
Et ſine lucenti fons inamœnus aquâ.
Vmbra levis tantùm noſtro de corpore manſit,
Inter & extinctos annumerandus eram.
Sola ſuis Iuſtina oculis pulcherrima vitam
Reddebat muto, lenè tuens cineri.
Gaudia tunc luceſque mihi nocteiſq; ferebant,
Grataque erant Cereris munera, grata meri:
Aurea fulgebant rutilanti ſidera mundo,
Formoſus croceos Phœbus agebat equos:
Fronde frutex viridi, vernabat gramine campus,
Et pellucidulâ fons ſaliebat aquâ.
Hoc eſt infandum quodcunque vocatur amare,
Sollicita alternis gaudia cum lachrymis.
Nec fuit auxilio, quod mitigat omnia, tempus;
Mutavit flammas nec via longa meas.
Ad fineis veni Latios, glebamque feracem,
Vectus Tyrrheni per freta Tuſca maris,
Pulſatus raucis vbi vocibus Appenninus
Sæpè tulit queſtus in freta ſurda meos.
Auſtriacos vidi populos, vbi maximus Iſter
Cantatas gemino nomine voluit aquas.
Quin etiam Hungaricæ me conſpexêre ruinæ
Flentem, non miſeri triſtia damna ſoli,

Non

Non furias hostis vicino Marte cruenti,
Tædia difficilis nec sinuosa viæ:
Sed fastus, Iustina, tuos, ô, durior illis
Cautibus, æternâ quas nive tundit hyems,
Hinc quoque Belgarum populosas vectus ad oras,
Vnica cum Nato quæ Venus arva colit,
Centum candidulas vidi per compita formas,
Omneis innocuis, Lux mea, luminibus.
Est aliquid servare fidem: miserata doloris
Reddidit Hesperiæ me Cytherea meæ.
Tu quoque fidorum iam non ignara calorum,
Cœpisti nostris victa dolere malis,
Atque aliquid sentire meis adfine favillis,
Damnans longa tuæ tempora duritiæ:
Nec mora, iam cingenda dabas formosa lacertis
Colla, dabas blando murmure basiolum.
Et quiddam haud tacitis promittens maius ocellis,
Languebas fusâ per mea colla manu.
Hora brevis poterat coniungere molliter ambos,
Et dare concordi gaudia plena toro.
Basia nexilibus dum iungimus humida linguis,
Dum volat huc illuc missa proterva manus,
Et sine mente oculi volvuntur vtrinque salaces,
Dulciaque ad Veneris sacra paratur iter:
Ecce, pedem thalami feralem in limine ponens
Improba propositum Larvia rupit opus.
Det tibi, tristis anus, inopem Cytherea senectam,
Et sero lacerum torreat igne iecur.

Nec tibi contingat turpeis satiare furoreis,
Semper at indomitæ more feraris equæ.
Et, quæ tam sanctos violarunt lumina amores,
Non vnquam placidâ fessa tegantur humo:
Illa sed antè rogum rabidi canis ira revellat,
Spergat desertis & lacerata locis:
Colligat illa furens, magicasq́ exusta per aras
Carmine sacrilego dira fatiget anus.

Hæc amici rogatu scripta, qui suos amores alienis malebat decantari versibus, quàm suis, Alamoignæ 1533.

ELEGIA VIII.
Ad lectulum.

LEctule, qui domini lentum sine cōpare dulci
Pondus habes, nullis conscie delicijs,
Heu, quæ torpentem somno me semper inerti
Imposuit fulcris sors inimica tuis!
Dignus es, & certè mecum felicior esses,
Afflaret si me lenis, vt antè, Deus:
Sive meo facilis penderet Iulia collo,
Iulia fervoris prima favilla mei;
Altera seu mecum longas variaret in horas
Labra columbinis roscida basiolis,
Difficilis nimium, nimiumq́ infida Neæra,
Nec meritò numeris nobilitata meis;
Seu quæcunque meis versaret in oßibus ignem,
Digna toro facies, digna furore, meo.

Non

Non ego dedecori fierem tibi, lectule mollis,
Sponda veternosum nec tua ferret onus.
Non Venerem malles nudo cum Marte iacentem,
Dulcia nec varij furta fovere Iovis.
Nunc tristes vnà toto tabescimus anno,
Inque parem sortem te mea fata trahunt.
Mollis Amor, terræque, Puer, cœlique voluptas,
Quæque volas conchâ per freta summa levi,
Languida qui blandis mordetis pectora curis,
Vnde patens aër, vnda solumque vigent,
Cur nos tam miti cruciatis pectore vates,
Aut nullo miseros, aut in amore malo?
Optabam, memini, cùm nuper amore vacarem
Vester in hanc animam ne foret ignis iners:
Hei mihi, quàm multos peperit vox vna dolores!
Traditus indignæ præda fui Dominæ.
Illa tribus didicit ter eandem vendere noctem
Improba, & exclusis sola cubare tribus,
Dicere, iam venias, venientem fallere, seq́;
Esse domi clausâ dissimulare serâ.
Scit benè quâ iuvenis, scit quâ moderatior ætas,
Et quâ delirus ducitur arte senex.
Cùm voluit, periura quatit singultibus ora,
Et tepido lætas irrigat imbre genas.
Quamvis munera amat, nō prosunt munera dāti,
Sed tantùm longi sunt mala vincla mali.
Qui dedit, hunc veteres inter fastidit amanteis,
Qualis in eversâ stat vetus æde Deus.

Qui

Qui modò dat, nimiũ novus eſt, neq; dignus, vt illis
Præferat hunc, iunxit quos ſibi priſca fides.
Semper habet cauſſas cur munera poſcat amantẽ:
Semper habet, noctem cur dare lenta neget.
Nam modò formoſus puer eſt venturus ad illam,
Ignea cui niveo fulget in ore roſa,
Levia cui nulla ſordeſcunt inguina pube,
Scilicet effecit quem modò prima virum,
Et modò in alterius ſe iurat amore perire,
Nec vacuum ad flammas pectus habere novas.
Et modò tam notâ nullum de plebe ſalutat,
Vt ſemel eſt nervum experta tribunitium.
Sæpè gravem capitis cauſſatur pallida morbum,
Sæpè nova ſignat relligione diem.
Sæpè dolet, fictamq; ruens igneſcit in iram,
Baccha repentinis vt furit acta ſacris.
Ilicet, exhauſtis loculis diſcedit amator,
Ilicet, egregius iam ſubit ille puer,
Curva labaſcenti frangens veſtigia nixu,
Dixiſſet Pylius quem, puto, Neſtor avum,
Vda ſub hirſutâ torpent cui lumina ſilvâ,
Herniaq; effœtis pendet ab inguinibus,
Tolle tuas arteis, nimium cognovimus iſta,
Simplicius poteras dicere, Vade foras,
Et gravis es nobis, & ſunt tua munera parva,
Et nimium verâ quæris amare fide.
Si tamen haud fallit Phœbi cortina poëtas,
Et ſacer ætherijs vatibus ardor ineſt;

Sera

Sera tibi veniet fastûs vindicta superbi,
Aetatis teneræ crimina flebis anus,
Cùm tibi cælatum laxis, pulcherrima, rugis
Luridus inficiet pallor anile caput,
Conductamq; trahens tremebundo pollice lanam,
Involves fuso stamina longa gravi:
Aspiciet lachrymas ridens Erycina senileis,
Et levis excussâ plaudet Amor pharetrâ,
Et iuvenes omneis, & me tua probra iuvabunt,
Lux, precor, ô, fato sit prior illa meo.
Tunc ego candentis, Venus, ô, formosa, columbæ
Ante tuas aras viscera pura feram.
Interea, flammis iecur hoc melioribus vre,
Dum res, & vitæ tempora verna sinunt.
Me recreet placidi tranquilla Cupidinis aura:
Sit procul ex animo turbida cura meo.
Me iocus, & risus iuvet, incertiq; penates,
Me lyra, me calices, me rosa tincta mero,
Me sine nube dies & me sine nocte tenebræ,
Et sine nox tenebris, & sine dote torus,
Rixa vacans odijs, & nullo vulnere bellum,
Et matutino victa sopore Venus.

Toleti, mense Aprili, 1534.

ELEGIA IX.

Ad Somnum.

Somne, tenebrosæ necis ignavißime frater,
Et tantùm vanis dulcis imaginibus,
Parce meæ Dominæ natitanteis claudere ocellos,
Noctis promissæ dum brevis hora fluit.
Pacta mihi est, nō Somne, tibi: Cur improbe pennis
Subrepens tacitis in bona nostra volas?
Desine, si pudor est, onerare amplexibus atris,
Membra Pyrenæâ candidiora nive.
Te sibi, deserto ducens suspiria lecto,
Noctibus in viduis multa puella vocat.
Te vocat enervis coniux formosa mariti
Plurima, & instanti gaudia nulla negat,
Túne obscura putas tua, lascivißime, furta,
Immunis quorum nulla puella fuit?
Parva licet matris charis indormiat vlnis,
Et rudis, & nulli contemerata viro:
Te tamen experta est resolutis ægra medullis,
Et frustra matris muta vocavit opem.
Cuncta patent tibi, Somne, cubilia formosarum:
Nocte brevi vigilet, scilicet, vna mihi.
Ipsa negat tibi se, cubitoque innixa supino
Erigitur, nostrum labitur inque sinum.
Fallor! & heic iam se dedet secura quieti,
Norit vbi roseum tam procul esse diem.

Hospi-

Hoſpitis Oceani ſpumoſa cubilia linquit
Phœbus, & ardenteis in iuga cogit equos.
Sidit Athlantæas Phœbi germana ſub vndas,
Obtundunt aciem ſidera victa ſuam,
Terque dedit lucis ſignum criſtata volucris:
Tu tamen aſsiduo preſſa ſopore iaces.
Vxores iaceant ſic, deformeſque puellæ,
Quæq́; parant laſsis tædia fæda viris,
Tu mecum longâ ludas, licet, ô, mea, nocte,
Et mecum longâ delicioſa die,
Inclinata ſopor nunquam mea lumina ſolvet.
Qui dormit, ſecum non habet ille ſuam.
O, nunc, ô, vigiles, illud ne protinus addam,
Quæ dormit, ſecum non habet illa ſuum.
Hoc non admittes in te, dulciſsima, crimen,
Somnus iucundis iam fluet ex oculis.
En! niveo lapſos formavit pollice crineis,
Lumina permulſit ſemirecluſa manu,
Et mihi baſiolum ſtrinxit trepidante labello,
Quale viro in ſomnis nulla puella tulit.
Iam dormiſſe decet, iam te formoſior ipsâ es,
Mollior ex oculis iam tibi flamma venit.
Sic, vbi nocturnos rupit Tithonia ſomnos,
Purpureum flavo fundit ab ore decus;
Sic nitet ambiguo Titan gratiſsimus ore,
Cùm ſe non totum nubibus exeruit.
Talia per denſos myrti Latonia ramos
Deÿcit in tremuli lumina fontis aquam.

Nunc

Nunc licet intonsi veniat sub imagine Phœbi
Somnus, Athlantiadis vel gerat ora Dei,
Exemplove Iovis, liquido nitidissimus auro
Diffluat, aut niveo tectus olore gemat:
Spernet Apollineos præ me Venerilla capillos;
Mercuriјq; genas, Mercuriјque lyram,
Excludet gremio croceæ ludibria guttæ,
Et frustra ad thalamos dulce queretur olor.

Hæc ferè inter equitandum non longè à Palentiâ effudimus mense Septembri, 1534.

ELEGIA X.

De secundis nuptijs Nicolai Grudij, fratris.

AEquora sulcabat pictâ Venus aurea conchâ,
Cui comes ardenti cum face Natus erat
Aliger, aligerâ miscens fera bella sagittâ.
Illius latè pontus ab igne calet.
Senserunt pisces infectas æquoris vndas,
Nereidesq; imis delituêre vadis.
Ad magni tandem venerunt ostia Scaldis,
Divertit cursus quò Dea sancta suos.
Excipit, & Matrem senior veneratur Amorum,
Naiades glaucæ concomitantur heram,
Iamq; suum Divæ felix Anverpia portum
Pandit, & alliciunt mœnia clara Deam.

Quæ

Quæ postquam viridi religavit ab arbore conchā,
Divinum magnâ ponit in vrbe pedem,
Ponè subit Puer arcitenens, acuitq; sagittas,
Inflectitq; arcus, cui Dea mater ait:
Nunc, age, tinge Puer casto tua tela veneno,
Formosa est Vati danda puella meo.
Grudius, Hesperiâ nuper benè cognitus ora,
Narcissi miseras dum caneret lachrymas.
Cæsareasq; aquilas per funera mille secutus,
Scriberet arcanis dum sacra iussa notis,
Ad patrios rediјt amissâ coniuge Belgas,
Inpatiens vidui tædia ferre tori:
Iamque etiam tædas hac ambit in vrbe iugaleis:
Digna meo res est, digna favore tuo.
Ille meas dulci decantat carmine laudes,
Et nostrum latè prorogat imperium.
Vrbs hæc formosas nutrit cultasq; puellas,
E quibus est Vatis dignior vna toro,
Quæ tantum reliquas formæ præcellit honore,
A formâ quantum vincitur ipsa meâ.
Dixerat, at rutilis subitò secat aëra pennis,
Virgineumq; Deus labitur in thalamum,
Lectaq; Gnosiacâ depromit tela pharetrâ,
Figit & in tenerum spicula casta iecur.
Rursus &, ætherias pennis sublatus in auras,
Ad Iuvenem motis venit Amor facibus,
Atque ait, ô, nostras toties experte sagittas;
Hoc quoque supremum non grave vulnus habē.

ELEGIA XI.
Ad Carolum Catzium.

CArole iucundos potuisti linquere amores,
Terribileisque tubas, & fera bella sequi?
Crede mihi, non est armorum gloria tanti,
Vt fleat vlla tuas mœsta puella vias.
Siccine sperasti vitare Cupidinis arcus,
Martia sanguineâ dum capis arma manu?
Falleris. absenteis maior premit æstus amanteis,
Nullaque sollicito prælia amore vacant.
Deseruit charum nunquam Venus ignea Martem,
Nec timet in castris accubuisse Deo.
Cæsareas acies in primis Diva tuetur,
Aeneæque genus, progeniemque suam.
Tu licet extremos properes bellator ad Indos,
Ad latus vsque tuum callidus ibit Amor:
Induet & galeam, surasque includet in ære,
Et sparget tenerà tela cruenta manu.
Difficile est pugnare Deo. quò longius ibis,
Erronem tanto durius vret Amor:
Inque acie mediâ, dum fulgurat ægide Mavors,
Occurret dominæ tristis imago tibi:
Tum pugnæ oblitus, Martemque exosus acerbum,
Males in molli bella movere toro.
Ah, pereat duros primùm qui protulit enseis,
Ille fuit ferro durior ipse suo.

Ille autem ſcelere ante alios immanior omneis,
Tormenti invenit qui genus arte novâ
Infandum, horrendum, dirum tremuêre quod ipſæ
Eumenides, & rex horruit ipſe Erebi.
Quâ ruit, occumbunt vrbes ſylvæq; tremiſcunt,
Turbatiq; ſonat regia vaſta maris.
Non ſic iratâ iaculatur fulmina dextra,
Nec tonitru cœlum Iuppiter omne quatit.
Excutit ingenteis immani pondere moleis,
Involvens fumo nigricolore diem.
Quid falſo innocuum tonitru Salmonea damnas
Iupiter? iſte tuo fulmine dignus erat.
At tibi dent, famâ clarum, ſpoliïſque ſuperbum,
Ad patrios ſuperi poſſe redire lareis.
Vt votiva Deûm ſuſpendas munera templis,
Armaque, & ereptas hoſtibus exuvias.

IOANNIS SECVNDI ELEGIARVM

Liber Tertius.

ELEGIA I.

Carminibus potuit torrentia sistere quondam
Flumina, & arrectas sæpè tenere feras,
Carminibus rigidas potuit deducere quercus
Orpheus, & celeres continuisse notos.
Carminibus durum potuit mollire Charontem,
Applicuit ripæ protinus ille ratem.
Carminibus potuit, qui servat pervigil atra
Limina tergeminum perdomuisse canem,
Carminibus mulcere Hecaten, mulcere Sorores,
Sistere & anguineæ sibila dira comæ.
Carminibus potuit crudelem flectere regem,
Tristiaque inferni solvere iura fori.
Carminibus tandem victa omnis turba, petenti
Euridicen Vati restituêre suam.
Sed non carminibus potuit revocare relapsam,
Nec rata Tartarei fallere pacta Dei.
At, benè si cautus, quod carmine fecerat ante,
Muneribus Stygias sollicitasset anus,

Mune-

Munera Plutoni, Rhadamantho dona dediſſet,
Senſiſſet facileis in ſua vota Deos:
Irrita lex fuerat, fuerat mox reddita coniux,
Et fuerat rurſum lex data nulla viro.
Orpheu, quid? tantum tua carmina poſſe putabas?
Vt non credideris munera poſſe magis?
Iupiter ad Danaën non carmina inania miſit,
Miſit in optatos aurea dona ſinus.
Illa, leveis fuerat quæ reiectura Camœnas,
Cœpit inauratum læta fovere Deum.
Carmina, formoſis olim haud ingrata puellis,
Iam pridem vacuum nil niſi nomen habent.
Munera ſola beant, ſola addunt munera formam,
Munere ſollicites Pallada, Cypris erit.
Carminibus falſos, Vates, meditabere amores,
Cantans ad ſurdas carmina vana foreis:
Muneribus dulceis mercabitur intus amores
Barbarus, & ludet teque tuoſq; ſonos.
Munera feciſſent cunctos ex ordine ſponſos
Participes thalami Penelopæa tui,
Sed non dona dabant, vel ſi tibi dona dederunt,
Falſa tuæ fertur fama pudicitiæ.

ELEGIA II.
Ad Carolum. V. Romanorum Imper. P. F. A.

Carole, qui solus patuli simul omnia mundi
Inuicta poteras regna tenere manu,
Ni fortuna favens, sibi non voluisset abesse,
Quo posset charum sæpè beare caput:
Hoc quod adest signum, venit à sculptore poetâ:
Concedes veniam si minus artis habet.
Ex vnâ Herculeas spectabis parte columnas
Stare procelloso, quæ tua signa, mari.
Pars tenet Augustum felicior altera vultum:
Hunc quid defixis ipse stupes oculis?
An quid in hoc subitò venerandum, lene, decorum,
Et, quod plebeium non queat esse, vides?
Scilicet, ista tui est, mitißime Cæsar, imago
Oris, at, heu, digiti quàm poliêre rudes.
Lysippi manibus fuit hæc formanda, vel illis,
Pallada quæ priscis, & posuere Iouem.
Tunc poterat vultus inter lucere deorum,
Invidiosa deis, invidiosa Ioui.
Nunc, mea cùm fecit manus hāc temeraria, quanta
Maiestas operi, gratia quanta perit?
Illa tamen poterit, qualis sit cumque, remotis
Testari populis de pietate tuâ,
Atque tuis præstare fidem per sæcula gestis,
Inter & historias, Cæsar, habere locum:

Qualis

Qualis enim quiſque eſt, qualis fuit, indicat oris
Forma, gerit certas pectoris illa notas.
Arguet æternùm crudelia facta Neronis
Ex fulvo quod adhuc ære numiſma manet.
Illud habet dextram cognatâ cæde madentem,
Signaq́; materni ſanguinis illud habet,
Vrbis opes dominæ flagranteis igne nefando,
Totq́; necatorum corpora trunca patrum,
Sic, vultus ſi ſæcla tuos venientia cernent,
Et pietas illis, & tua nota fides,
Relligioq́; & mens obſervantiſsima iuſti,
Nulla licet de te charta loquatur, erit.

ELEGIA III.

In libellos Catulli, Tibulli & Propertij.

INtemerata vides linguæ monimenta Latinæ,
Delicias dominæ, lautitiasq́; togæ.
Scilicet, heic omne eſt, colles audire Quirini
Molle, vel argutum quod potuêre priùs.
Heic & Pompeiâ ſpatiaris ſerus in vmbrâ,
Súbque tuos oculos multa puella venit,
Laxa comam, religata comam, diſtincta capillum,
Culta, nigris oculis, crine decora nigro,
Inter quas primâ procedit Lesbia pompâ,
Paſſeris interitu nunc quoque mæſta ſui.
Tótque tibi blando promittit baſia vultu,
Lenis amatori quot dedit ante ſuo.

Proxima progreditur lasciuo Delia passu,
Felicem Nemesis quam propè radit humum.
Fortunatæ ambæ, quarum sacra fama virebit,
Pectora dum Vatum paruus aduret Amor.
Cynthia deinde, potens oculis iaculantibus ignem,
Subsequitur Coâ mobilis in tunicâ.
Hæc domuit fortem, tactúmque Cupidine nullo,
Et fastûs spolium celsa tuentis habet.
Tu quoque qui cernes, caue ne lædaris ab illâ,
Spirat adhuc flammas, & sua tela gerit.

ELEGIA IIII.
Ad Ioannem Dantiscum, Episcopum & Poëtam.

Regis honos venerande pij, cui dulce sonantum
Barbitos argutis tinnit in auriculis,
Cuius temporibus & laurus & infula certant,
Hæc premat vt sacras, & premat illa comas,
Sit tibi vita diu, nec te Dantisce malignis
Inuoluat tenebris illa nec illa dies.
Inuiolata tuos extendat fama labores,
Atque alia, atque alia in sæcula serpat anus.
Fragmina qui plus & cineres legis extinctorum,
Corpora de tumulis & rediuiua vocas.
Per te Mercurium Scaldis post fata canentem
Audiet, attonitas & reuocabit aquas.
Per te Mercurium noscet, notúmque loquetur,
Quæque riget cano pallida turba gelu,

Quæq; trahit nigrum vicino ſole colorem,
Quæq; poli tepidâ ſub regione iacet.
Vive diu, Præſul venerande, & vive ſuäve,
Inq; levem flatum cùm tenuatus eris,
Ipſe tibi Phœnix iteratæ tempora vitæ
Produc, magnanimâ mente, canore pio.

ELEGIA. V.

In reditum Eraſmi Roterodami ad Belgas, ſed falsò nunciatum.

AD patrios fineis venit grandævus Eraſmus,
Venit amor recti, venit & ipſa Fides,
Venerunt Charites, & iuncta Sororibus octo
Floribus inſtravit Calliopæa viam.
Dicite, quæ primùm ſacro pede contigit arva?
Perpetuo lauros illa hederáſque ferant.
Dicite, quo primum clauſit veſtigia vallo:
Semper honoratus ſit locus ille mihi.
Sive viam terris carpſit, ſeu flumine curvo
Vexit adoratum cymba beata ſenem,
Et nullo intactæ lædantur vomere terræ,
Et ſemper nitido gurgite flumen eat,
Sole nec areſcat, gelidæ neque ſidere brumæ
Aſpera concretas vngula pulſet aquas,
O, tanti quæ terra viri cunabula ſervas,
Debita Diis magnis cum prece thura refer:
Et pete, qui venit veſtris ne cedat ab oris,
Ad cæli donec ſidera ſerus eat:

Vt, cunis quæ læta sacris per sæcla superbis,
Accedat titulis nobilis vrna tuis,
Ad quam longinquus toties lachrymabitur hospes,
Inspargens tenerâ clara sepulchra rosâ:
Et dicet, Felix quæ talem terra tulisti.
Tu mihi vel magno non minor es Latio.

ELEGIA VI.
De Vere.

EN modò, post imbreísque vagos, gelidásque pruinas,
Permutat sedeis aspera Bruma suas,
Iámq. nouo Antipodũ perstringit frigore genteis,
Et vehitur Borea per noua regna graui.
Interea niueïs aduentant tempora pennis,
Illa quibus veniunt dulcia nulla magis,
Tempora quæ Veris nomen sortita beati,
Iure sibi primum promeruêre locum.
Iam libet vmbrosâ recubare sub arbore lentum,
Rauca vbi perpetuis vnda susurrat aquis,
Et canere auriti stupeant quæ carmina Fauni,
Carmina decliueis quæ remorentur aquas:
Aut tumidos magni versus recitare Maronis,
Carmina Pindarici vel numerosa senis,
Vel legere infestas qui Cæsaris intonat iras,
Et deflet Magni colla resecta sui:
Cernere vel teneris quæ det præcepta puellis,
Quæque viris, mediâ dignus in vrbe mori,

Quem Puero molli voluit Venus esse magistrum
 Naso, Tomitanâ non tumulandus humo.
Vel quæ lasciui dat Musa iocosa Catulli,
 Dicere vel numeros culte Tibulle tuos:
Aut audire suos recinentem molliter igneis,
 Versibus à cuius Cynthia nomen habet:
Et quoscunque alios Musæ docuêre canoræ
 Dicere, quod menteis anxietate leuet.
Iam libet & curuos inflectere viribus arcus,
 Certáque in oppositum figere tela scopum.
Iam campis errare libet florentibus, & per
 Aëris incertas spargere tela vias.
In noua iam niuei mitttuntur pascua tauri,
 Lanigeri saliunt per noua prata greges.
Nocturnúmque gelu iam matutinus Apollo
 Ridet, & in liquidas omne resoluit aquas.
Iámque focum agricolæ fumosáq. tecta relinquunt,
 Rusticáque in tepido gramine turba iacet.
Arboribus miti Zephyrus iam flamine reddit
 Præripuit Boreas quas violentus opes.
Et modò quæ iacuit rigidis obducta pruinis
 Terra, nimis vultu conspicienda fero,
Iam vario herbarum & florum depicta colore,
 Vicinum latè complet odore locum.
Iam, tremulus multo qui sedit tempore, passer,
 Gaudet delicijs incubuisse nouis.
Iámque reuecta suis rostrata ciconia ventis,
 Hospitis antiqui culmina nota petit.

Deser-

Desertósque lareis peregrina revisit hirundo,
Prima tepescenteis advehit illa dies.
Quæque diu gelidæ siluit per tempora Brumæ,
Integrat dulceis iam philomela modos.
Et tu sturne loquax cunctas imitate volucreis,
Vno quam varios reddis ab ore sonos?
Denique, tam placidis passim adspirantibus auris,
Assumunt habitus cuncta refecta nouos.
Nimirum talis tenui spirare susurro
Semper in Elysiis creditur aura locis.
O, fortunatas tali sub tempore terras,
Tempore quo nullum lætius annus habet.
Si non, quisquis erat, quondam voluisset iniquus
Gaudia tam magnis hæc temerare malis.
Nomen enim, factúmque nocens vtcunque tacebo,
Dum modo devoto carmina dira canam,
Carmina quæ sævis dent præmia consona factis,
Quæ moveant magnos ter repetita Deos.
Dij facite, Elysijs procul vt distractus ab arvis,
Incolat æternos tristia regna dies.
Atque illic siccámque sitim ferat vsque famémque,
Et capiat sortem Tantale prisce tuam,
Tuque satur sedeas, poma ille fugacia captet,
Et captet liquidas, nec potiatur, aquas.
Aut epulis potiùs multis ante ora paratis,
Non ausit vetitas vel tetigisse dapes.
Quin mox illa simul Furiarum prima recumbens
Surgat, & vltricem tendat in ora facem.
Tandem

Tandem Erysichthoniâ rabie compulsus edendi,
Dilacerat maneis si queat ipse suos,
Sic tamen, vt nequeat sibi mortem inferre secundã,
Nec finem tantis imposuisse malis.
At nos interea picti florentia Veris
Tempora gaudentes transiliisse iuuet.

ELEGIA VII.

Ad Hieronymum Montium Mediolanensem, pro acceptis ab eo Epitaphiis ac Elegiis quibusdam

SOMNIVM.

FEssus eram, & sensi grauioris tædia curæ,
Obtulit ante oculos se Dea bina meos:
Altera, lugubrem prætendens mœsta cupressum,
Scalpebat memores in cava busta notas:
Altera fragrabat myrti genialis odore.
Sancta Venus, quanto clauda decore fuit!
Vtraque visa mihi prius, vtraque culta libenter,
Et fuerant requies pectoris vna mei.
Rorantis sed enim species divina capilli
Diffusique sinus, purpureæq́; genæ,
Penè mihi abstulerant vultus discrimina noti,
Cùm subitò taleis reddidit vna sonos,
Imparibus tibi nota modis Elegeïa pridem,
Ebria cùm caneres lumina mollis heræ,

Quæque

Quæq; tuas curas, & quæ tua gaudia noui,
Adsum, ait, ornatu ne moueare nouo:
Virginibus Latijs crineis ita voluere mos est,
Illis & tenueis aura mouet tunicas,
Illis & tereteis distinguit purpura mâlas,
Multus & arguto gutture spirat odor:
Adsumus Italiâ, taleis nos terra remittit
Aurea, quæ nobis patria sola manet.
Quæ cineres mutos Vatum venerata priorum,
Quos fouit gremio dædala Roma suo,
Parturit vsque nouos, & iura tuetur auita:
Qualis erat, cœli qui peragrauit iter,
Mobilium decreta canens immota rotarum
Pontanus, cuius laudibus aura sonat.
Pontanus, puerum docui quem prima sonare
Alitis Idalij vincula, tela, faceis.
Qualeis Strozigenæ laus, & duo sidera gentis,
Ille decus nostri, vel decus ille chori,
Ille pharetrati vel fama Cupidinis ille,
Quorum per populos nomina iuncta volant.
Quid referam Graiâ genitum de stirpe Marullum,
Aptantem Latijs Dorica sacra modis?
Quid Bembi? magníq. Vidæ quid nomen? & Acti?
Et quorum titulos nulla recondet humus?
Alciatúmque meum? patrijs qui tractus ab oris,
Alteriúsque Deæ sacra verenda colens,
Non tamen illarum vestigia mouit ab hortis,
Nascentem placidis quæ rapuêre oculis,
Qui,

Qui doctà cum gente suâ facit, vt sit & ista
Vrbs Biturix nostræ non aliena viæ.
Talia dicebat, vel talia dicere visa est,
Mouit inæqualeis & Dea læta pedes.
Cúmque sorore suâ murmur modulata canorum,
Fugit, & ambrosio sparsit odore locum.
At mihi subsiluit grauibus mens eruta curis;
Visus & ex illo purior ire dies.

ELEGIA VIII.

De pace Cameraci facta, inter Carolum Imperatorem & Franciscum Galliæ Regem, Anno 1529.

EN rata magnanimo cum Cæsare fœdera Gallo,
En per fœmineas fœdera pacta manus:
Dicite, ïo, iuuenes, &, ïo, bis dicite cani,
Et pellat curas fœmina virq́; graueis.
I procul obscuras Mars ferree Ditis ad vmbras,
Aufer & hinc Furias seditiose tuas.
Te Bellona ferox, téque hinc Discordia demens
Proripe, & accensis Ira superba genis.
Prodit ab astrifero, tandem, optatissima cœlo,
Laureolâ placidas Pax redimita comas:
Altera cæruleæ ramum prætendit oliuæ,
Effundit fruges altera larga manus.
Sunt comites, superos quæ quondam Astræa petiuit,
Impia sanguinei bella perosa Dei,

Quam-

Quámque licet iustæ germanam dicere Diuæ,
 (Ah nimis arcani prodiga Diva sui)
Incorrupta Fides, niueâ circundita pallâ:
 Et vos Pierij turba novena chori:
Quas inter medius radianti vertice Phœbus
 Increpat argutæ fila canora lyræ.
Hos procul à tergo gressu titubante secutus,
 Mercurio cæcus cum duce, Plutus adest.
Quæ Puer, Idalij speculans è vertice montis,
 Plaudit Amor pennis, & sua tela nouat:
Desuetásque novo vireis explorat in arcu,
 Ipsa novam pharetram cui ligat alma parens.
Ergo, age, Pauperies cunctorum causa malorum
 Quæ patrare iubes omnia, quæque pati,
Et suadens mala cuncta Fames, spinosáque Curæ,
 Luctúsque, & tenebris Mors fera cincta nigris,
Ite per extremas genteis, atque ite per vndas,
 Nulla vbi, quàm rabidis, sint loca trita, feris.
At vos in falceis gladij nunc ite recurvas,
 Atque aciem in flavas vertite frugis opes.
Quique priùs rigidas clypeus decusserat hastas,
 Nunc habilis paleas ventilet ille leueis,
Et modò quæ pressit fugientia lancea terga,
 Scindat frugiferam vomer aduncus humum.
Vos qui bella priùs, Iuuenes ætate virentes,
 Gessistis crudâ sanguinolenta manu,
Pro durâ galeâ, roseis ornate corollis
 Tempora, próque tubis sumite plectra manu.

Belláque

Belláque lasciuis nocturna mouete puellis,
Figite & optato vulnera grata loco.
Signentur memori felicia tempora versu,
Tempora solenneis inter habenda dies.
LVX SIMVL aC feLIX aVgVstI qVInta refVLsIt
ProdIIt & popVLIs paX bona Longa tVLIt.

ELEGIA IX.

In morbo Andreæ Alciati scripta.

SIc est, humanæ legem transcendere sortis,
Fata vetant omnes, cæliuagæq́; rotæ.
Consortémque pati Diuûm gens inuida non vult,
Atque viros geminâ deiicit arte polo,
Debilibus morbis, & morbis morte propinquâ,
Cui Nox & fuscas stat Sopor antè genas.
Alciatus languet: quid nunc iuuat omnia scire,
Et famâ populos ire per & maria,
Febris in angusto quem versat pallida lecto?
Diua sacrum Musis lædere parce caput.
Tunc ego te dicam posuisse cubilia cælo,
Semper vbi niueo semita lacte fluit,
Non Stygias inter Furias in valle profundâ
Degere, quâ Bello stat domus, atque Fami.
Et tibi votiuas persoluam carmine laudes:
Tu modò de sancto limine tolle pedem.
Sic tibi, nec macies, nec sit tibi pallor in ore,
Siccáque profusâ labra rigeris aquâ.

ELEGIA. X.

Valedicit amicis in Hiſpaniam profecturus è Belgicâ.

HEi mihi, curarum cur me tam lenta fatigant
Pondera? ménsque ſuo victa dolore iacet?
Anne, quòd extremas fato propellor in oras,
Aurea quâ flaui ſplendet arena Tagi,
Viſurus populos quos Sol vicinus adurit,
Dum parat occiduas amne lauare rotas?
At qui tunc alacer ſoleo vegetúsque videri,
Eſſet in aſpectu cùm via longa meo.
Libera nec curis vnquam magis otia duco,
Quam cùm dura premo terga fugacis equi.
Nec mihi formoſis iniecit vincla lacertis,
Pendet & a collo nulla puella meo,
Quæ mihi blanditias & verba minantia dicat,
Omináque in noſtrum triſtia fingat iter,
Quæ mihi cum lachrymis conuicia fundat eunti,
Aſperet & magnos in mea damna Deos.
Talis nulla meis inſedit cura medullis,
Et tamen, heu, quantus pectora languor habet?
Dij, noſtri tutela, Lareis & Numina ripæ,
Quam curuus flauâ Delus inundat aquâ,
Túque Geni, tu ſancte Geni prænobilis vrbis,
O, quæ ſera meos accipiat cineres,
Irrita ſint, precor, hæc animi præſagia mœſti,
Vecta tepeſcenti per freta ſumma noto.

Et mihi quas doleam natas exponite caussas,
Ne tuba venturi sit dolor iste mali.
Sic ego: muscoso genitor sic Delus ab antro,
Intextus placidas fronde fluente comas,
Quot pisces vada nostra colunt, quot gramina ripis
Mollia nexilibus luxuriant foliis,
Tot tibi sunt caussæ, Iuuenis (ne quære) doloris,
Ah! nimis in curas ingeniose tuas.
Sacram vrbem Veneri, Phœbóque, patriq; Lyæo
Linquis, & ignotum curris in exilium,
Vt videas alio populos a sidere tostos,
Et repetas votis multa relicta tuis.
Suspires matrémque piam, fratrésque suaueis,
Et germanarum pectora chara trium,
Et longè ante alios dulcem de fratribus vnum,
Pars sine quo vitæ non sit vlla tuæ.
Adde tot vnanimi iunctos tibi corde sodaleis,
Adde & honoratos tot tibi iure viros.
Quos inter primo Craneueldius ordine, pro te
Votis æternos sollicitat Superos.
Proximus insequitur patrio Mulardus amore,
Antiquâq; colens téque tuósque fide.
Hæc igitur linques, & te mirare dolentem?
Curque iniussa tuo lumine gutta cadat?
Desine venturis mœrorem ascribere fatis,
Par esse instanti non valet ille malo.
Dixerat, & cum voce caput depressit in vndam,
Raráque turbatæ signa reliquit aquæ.

Omine quo gaudens, ſenſi miteſcere curas,
Et mutata nouus venit in ora color.
At vos iucundi, chariſsima turba, ſodales,
Mens quibus à nobis non aliena fuit,
Quique meos luſus, & qui mea ſeria noſti,
Cultor Apollinei Petre iocoſe chori;
Moribus & niueis cultiſsime Carole, quorum
Arguet immemorem me neque ſumma dies,
Viuite felices, dum me tenet vltima tellus,
Viuite ſeu viuam, viuite ſeu moriar.

ELEGIA XI.

ARagonum montes, excoctáque gypſa calore,
Aruáque nec Baccho cognita, nec Cereri,
Nullus vbi, trepidantis aquæ confinia circùm,
Frigerat humidulo gramine ceſpes humum,
Aura vbi Phœbæas contra flans irrita flammas
Ipſa calet, motas conduplicátque faceis.
Rara comis vbi luxuriat frondentibus arbor,
Rara ſtat artifici marmore fulta domus.
Sed miſer excíſis in rupibus incola viuit,
Et creſcit toto nil niſi ſpina ſolo.
Et paucæ ficus, &, non hic grata Mineruæ,
Arida liuenti languet oliua comâ.
Quando erit, vt veſtris liber de finibus, arua
Et tua flaua Ceres, & tua Bacche petam?
Multus vbi trepidantis aquæ confinia circùm
Frigerat humidulo gramine ceſpes humum?

Aura

Aura vbi Phœbæos mitiſſima temperat igneis?
Demulcens flabris aëra frigidulis?
Denſa comis vbi luxuriat frondentibus arbor?
Multa ſtat artifici marmore fulta domus?
Tunc ego procumbens myrti genialis in vmbrâ,
Calculus argutas quâ ſtrepit inter aquas,
Carmen Diua tibi gratus Fortuna dicabo,
Quod trahat agricolas ad loca blanda Deos.

ELEGIA XII.
In Cæſaream Auguſtam, vrbem Arragoniæ.

Nobile ab Auguſto nomen cui Cæſare manſit
Vrbs vetus, Heroûm quam poſuêre manus,
En tibi victriceis vndarum porrigit vndas
Maximus Heſperias inter Iberus aquas.
Te Dominam veneratur, & hæc tua mœnia ſemper
Stare iubet ripâ, dum fluet ipſe, ſuâ.
Limina regificis ſurgunt tibi mille columnis,
Nubilaq; aëriis turribus alta quatis.
Te blandis, te molliculis Cytherea puellis
En beat, Auguſto próque nepote colit.
Hei mihi, cur nutris pullas lachrymoſa cupreſſus?
Grata magis Phœbo non ſatis arbor erat?
Serta dares vt læta tuo victricia regi,
Qui tibi Barbarico victor ab hoſte redit?
Rex idem, Cæſarq; idem, mitiſſimus idem,
Qualis ab Auguſti non fuit imperio.

ELEGIA XIII.

In Reuerendissimum Cardinalem Toletanum, iter facientem Compostellam.

CApripedes Satyri, quibus est tutela virorum
Longa per externos quos via iactat agros,
Facundo soboles non inficianda parenti,
Cui micat in flauis aurea penna comis,
Seu nemus argutum, seu vos iuga montis adorant,
Siue susurriferis flumen arundinibus,
Dicite, num vestras equitatum duxit in vmbras,
Num sacer ad vestras constitit hospes aquas,
Ille cui Latio circùm velata galero
Candescunt leni tempora canicie,
Qui regit æquatis Hispanum legibus orbem,
Otia pacatis festa parans populis,
Præsule quo celsi spirat nunc ara Toleti
Suauiùs, & fumo dexteriore calet.
Vos iterum Satyri, mixti leuibus Satyriscis,
Et nemorum, Satyris præda cupita, Deæ,
Ipsum ego si quondam, per verna crepuscula, vidi
Pana Deum, socijs vnicus è pueris,
Cùm teneri patriis discursaremus in hortis,
Cypridis ad Lucum quà viret Haga mea,
Sedulus & seras inflaret quisque cicutas,
Et quateret paruâ tympana parua manu,

Si

Si puerum primo afflaſtis me numine Vatis,
Vt canerem ſyluas, flumina, gramen, aueis,
Vósque meo capiti geſtamina prima dediſtis,
Gratior & lauro tunc mihi pinus erat,
Dicite, quo vultu? quónam fuit ille colore?
Ardores capiti num nocuêre ſacro?
Quid? rabioſa Canis, Nemeæiq́ ira Leonis
Nubila quæ radiis oppoſuêre ſuis?
Cynthius inſano furiatum ſidere currum
Carmine quo domuit? quáve liquoris ope?
Ardentémne globum liquidi tulit orbita lactis?
Fluctus an excelſi ſtellifer Eridani?
Qui dominum montes, quæ ſunt arbuſta ſecuta?
Adblandita leuis quæ fuit aura Seni,
Vnius à facie fumoſum pulueris imbrem
Diſcutiens vdis roſcida flaminibus?
Quæq́ cateruatim volucres mulsêre vagantem,
Surgeret Eoo lux vbi flaua toro?
Quotq́ locis fontem venienti vena recluſit,
Quã prius in tenebris parca premebat humus?
Quos cecinêre modos? quas ductauêre choreas,
Obuia fontanas Numina propter aquas?
Hæc ego vidiſſem, veſtigia lætus adorans
Mitis Heri, magnæ pars quotacunque domus.
Narraſſem cupidis & multa reuerſus amicis,
Et teſtata meis plura forent numeris,
Importuna meis ni febris in oſsibus hærens,
Vinxiſſet triſti compede vota mea.

Tecum magne tamen Princeps securus abissem
Semideûm comites non grauat ira Deûm.
In Suburbano Palentino sub finem Iulij, 1534.

ELEGIA XIV.
Ad Ioannem Stratium.

QVô tam præcipiti rapitur mihi Stratius aurâ,
Et tantum visam deserit Hesperiam?
Barbara num tellus gentiq́; aliena Latinæ
Facundum Ausonio non capit ore virum?
Quò fugis, ah demens, mediis Aquilonibus anni,
Omnis cum glacie mortua torpet aqua?
Flumina non metuis niuibus crescentia? quæq́;
Sparsa Pyreneis nix iacet alta iugis?
Nónne times gelidum Capricorni sidere cælum?
Quasq́; puer largas Phryx modò fundet aquas?
Nymphæ quas Tagus, & magnus veneratur Iberus,
Quas Cynga, & Sicoris ripa vetusta colit.
Cogite torrenteis laxis de fontibus amneis,
Quadrupedem præceps quà feret ille gradum,
Perplexis Dryades fugitiuum inducite syluis,
Nescius vt repetat, quà fugiebat, iter.
Eq́; hederâ nexis religatum brachia nodis
Erronem, nostris sistite liminibus.
Sed cur dilecti remoramur vota sodalis,
Quem vocat ad patrios Belgica terra lareis!
Pro cuius reditu moriens Antonia curis
Sollicitat multis numina cum lachrymis,

Præcipuè, hortorum Custos membroſe virentum,
Suſpendit peni grandia ſerta tuo.
Ne quid ab Hiſpanis ſua mentula læſa puellis.
Aridior redeat languidiórve domum:
Hæc, tot culta procis quot Penelopen adamabant,
Vnum conqueritur triſtis abeſſe tamen,
Sub cuius tunicâ quiddam neruoſius eſſe
Credit, quale nihil grex popularis habet.
Ergo felici curſu patriamq; domúmque,
Et Dominam, & Dominæ baſia blanda pete.
Mox ad Sarmatiæ proceres, gentémque virilem,
Quam penes eſt vnam priſca tenaxq; fides.
Gorcanúmque tuum contendas, alite fauſto,
Maximus ille armis, maximus ille toga,
Cuius & Heſperias migrauit fama per oras:
O, quanta eſt virtus buccina lausq; ſibi?
Et quantum eſt coluiſſe viros, quorum ore diſerto
Sæpe patet virtus, quæ latitura fuit?
Quorum de Boreâ vox exauditur ad Auſtrum,
Tranſit & Eoas, Occiduasq; domos,
Ignauóque rogo & tenebris nigrantis Auerni
Educit celebreis in noua ſæcla viros.
Sic quoq. Gorcanus (namque hoc te teſte meretur)
Sive meo viuet munere, ſiue tuo.
Ille Scythas domat acre genus, quique omine diro
Nomen Tartareo de Phlegetonte gerunt.
Ille regit lætos populos moderamine miti,
Permittítque ſuis plurima, pauca ſibi.

Hunc pete, nam te iam desiderat, & tibi pridem
Dolia quadrimo seruat onusta mero.
Iam non te stupidæ teneant Aquilonibus auræ,
Sidus & hyberni sit tibi mite Capri,
Dardanius clausas vrnas compescat ephœbus,
Pacatúmque tibi reddat & ipse Iouem.
Non tibi, non obstent fusi de montibus amnes,
Nec Dryadum amplexu te liget vlla soror.
Ast ego seruabo vultus referentia charos,
Nata sub articulis viuida signa meis,
In quibus eximio spirabit Stratius ore,
Artis Phidiacæ dum remanebit honos.
Ille mihi variâ fingetur sæpè figurâ:
Nam modò candebit marmore de Pario,
Et modò flauebit specioso diues in auro;
Sæpè oculos pascet cerea forma meos,
Et iam Sarmaticâ, patriâ iam veste nitebit,
Et iam Romanæ clarus honore togæ.
Et laurus frontem modò vestiet, & modo myrtus,
Et modò cæruleâ Pallade cinctus erit.
Sic ego me vultu solans absentis amici,
Implebo sanctæ munus amicitiæ,
Donec te nobis felicior hora reducet,
Vel tibi reddemur candidiore die.

Ioanni Stratio Ioannes Secundus in discessu canebat Madriti mense Decembri, 1534.

ELEGIA XV.

In Hiſtoriam de rebus à Theſeo geſtis, duorumque riualium certamine, Gallicis numeris ab Illuſtri quadam matronâ, ſuauiſſimè conſcriptam.

AVſa ſacram tentare lyram priùs vnica Sappho
Prima viris fiſtum tollere digna fuit,
Inter laurigeras ſedem ſortita Sorores,
Lucida Pegaſei quà fluit vnda pedis.
Et tamen illa leueis tantùm cantauit amores,
Fœmineæ tenerum debilitatis opus.
At modò quæ nata eſt ſeclis labentibus orbi,
Cyprida cum Domino bellipotente canit,
Inter Francigenas prænobilis Heroïnas,
Quam leget, & Latias Gallia diſcet opes,
Et quæcunque latent Argiuis tecta ruinis,
Quoq́; Dei miſeros tela volucris agant,
Fortunæq́; viceis, & ineluctabile fatum,
Sciſſaq́; veloci ſtamina pulla manu
Victoris iuuenis, qui vxore potitus amatâ,
Iuit ad infernas non ſatiatus aquas,
Et ſua deuicto conceſſit iura ſodali,
In quem ſanguineas ſtrinxerat ante manus:
At tu quæ patriâ tam molliter omnia linguâ
Hæc canis, æternùm docta per ora vola.

Et

Et quoniam tellus quoque te tenet immaturè,
Nec data sunt longæ laurea serta comæ,
In tumulo saltem Phœbi tibi germinet arbor,
Cuius in vmbrosis stans Philomela comis,
Dum lachrymatur Itym, longis arguta querelis,
Te quoque, cum charo funere, sæpè gemat.

ELEGIA XVI.

Ad Hieronymum Suritam Cæsaraugustanum Poëtam.

VNica nata meis requies, Hieronyme, curis
Qui facis Hesperiæ iam mihi dulce solum,
Cuius in auriculis argutis Iulia gaudet
Laudatos tenerâ voce sonare modos.
Cuîque mea ante alios non dedignata Neæra est
Humida adhuc labris basia ferre meis.
Quæ te cunque mihi lux obtulit, optime rerum,
Inter solenneis hæc mihi semper erit.
Hæc mihi cùm Maÿ celebretur sæpe calendis,
Credo equidem, chari mensis & ipsa fuit.
Sed quæcunque fuit, mihi te donauit amicum,
Quo mihi non alius charior ante fuit.
Tu mihi labenteis solito breuioribus horis
Ire iubes Phœbo candidiore dies.
Quàm iuuat antiquos pariter cantare Poëtas?
Magna quibus veteres Roma tuetur opes.
Cúmque pio Aeneâ Laurentem quærere Tybrim,
Securos, Turno quàm paret ille necem.

Aut legere infeſtas qui Cæſaris intonat iras:
Et deflet Magni colla reſecta ducis.
Quin & Claudiani doctas euoluere chartas,
Hic reges etiam, nec minus arma canit.
Et raptam Siculo Cereris de littore natam,
Quam nunc & manes, & Stygis vnda colit.
Dein vatis varias per Siluas Parthenopæi
Ire Amphioniæ mœnia in alta lyræ,
Et fera Thebanos armare in prælia fratres,
Et procul è tuto bella videre loco.
Mox bello feſſas in blanda reducere Muſas
Otia, Pegaſei quà fluit vnda pedis.
Adſunt, & dominas per odora vireta ſequuntur
Lesbiáque, & Tyrios culta Corinna ſinus.
Deliáque & Nemeſis, tortóque ſuperba capillo
Primus amor Latij Cynthia Callimachi.
Quàm multa interea ſubeunt iucunda relatu?
Vna mihi tecum quot parit hora iocos?
Seu varios hominum mores ridemus, & arteis,
Seu Complutenſis Grammatici cerebrum.
Dij mihi dent tecum, Iuuenis lectiſsime, longum
Degere, & inſulſos ludere Grammaticos.

ELE-

ELEGIA XVII.

De Statuis & Sepulchris in Templo Vrbis S. Dionysij spectandis prope Lutetiam.

PRoxima Parrhysiæ iacet Vrbs Dionysia valli,
Heroum tumulis relligiosa virûm.
Hîc monumenta tenent longæuis inclyta saxis
Nomina, quæ nuper Franca timebat humus.
Sub quorum titulis bellum subiêre tot vrbes,
Ad quorum nutus tot voluêre mori.
Et dispersa iacent fluidóque natantia tabo
Corpora, purpureo quæ iacuêre toro,
Aurum quæ toties pede calcauêre superbo,
Iamq; viatorem marmore clausa rogant,
Regaleis precibus iuuet vt popularibus vmbras,
Depressósque piâ voce leuet cineres.
Hæc rerum series, & lex variabilis æui est:
Cuncta alit, vt rapiat cuncta, maligna dies.
Sæpè tamen fati raptum solatur acerbum
Littera in antiquis garrula marmoribus,
Effigiésque virûm saxo seruata vel ære,
Quæ viuat longos, post sua fata, dies.
Multaq; venturis de se non muta loquatur,
Ablatæ speciem mentis in ore gerens.
Feliccis arteis rabiem quæ vincitis Orci,
Atque aliquid fati demitis imperio:

Vos

Vos ego sæpe meis, vos versibus exornabo,
Et dicam Aoniis cantibus esse pareis.
Raptus ad Elysias annis iuuenilibus auras
Carolus, hic molli spirat in ære tamen,
Longa senescentis visurus sæcula mundi,
Cuî sua lugubri carmine gesta canet,
Britonas vt forteis victrici fuderit hastâ,
Ausus in hostileis se glomerare manus:
Vtq́; trahens gelidas idem sua signa per Alpeis,
Terror concussæ venerit Ausoniæ,
Multaq́; quæ vultus docet in vivente metallo,
Pugnacem referens cum pietate manum.
Artis opus tantæ superat sublime sepulchrum
Marmore de Pario quod Lodouicus habet,
Hic quem supremum sepeliuit Gallia regem,
Expertum dominæ Sortis vtramque vicem.
Hoc vbi conspexi, stupui, & primæua vetustas
Visa suas arteis est reuocare mihi,
Phidiacasq́; manus mecum meditabar, equósque
Spiranteis longùm colle Quirine tuo,
Quique diu artificem Romam decorauit, & altis
Aurea porticibus carmina Phœbus hiat.
Troianumq́; senem, quem, nunc quoque Palladis ira
Anguibus implicitum post sua fata necat.
Cedite Pyramides, & pendula Mausolæa,
Dicebam, & quicquid Græcia vidit opum.
Quattuor extremos seruabant numina fineis:
E quibus, infractâ mente manúque valens

Neruo.

Neruorum reliquas vincit compage Sorores,
Diua potens fati vincere sola viceis,
Et conferre manum Sorti violenter vtrique,
Neu premat hæc animum, neu leuet illa, cauens.
Stabat Diua sagax, terrásque tenebat & astra,
Docta Deos, homines, instabilémque rotam,
Omnia quæ Phœbus per longa volumina vidit
Arduus, in longâ conspiciètque viâ.
Stabat & infreneis animi quæ temperat æstus,
Contemptrix flammæ Diua Cupidineæ,
Palluit, è lymphâ (credo) quâ diluit vuas,
Plenáque virgineæ simplicitatis erat.
Iuncta chorum sancti claudebat quarta senatûs,
Iusta bonis librans præmia, iusta malis.
Illa quidem, cœlum priùs ausa relinquere nunquã,
Marmoris in duro cortice tuta latet.
At circùm statuis cinxêre minoribus vrnam
Priuatâ culti relligione Dei,
Nostra quibus pietas aras & templa dicauit,
Quòd bene pro Domino non renuêre mori.
Planiciem vero præstantia regis obibant
Gesta, Dei durum bellipotentis opus,
Arte nitens mirâ, quali Vulcania dona
Lumina Dardanij detinuêre ducis.
Parte aliâ trepidæ fugiunt sine lege cateruæ,
Parte aliâ densos curritur in gladios.
Hîc torquata trahunt seruileis colla cathenas,
Hîc rapitur mœstas funus in exsequias.

eÿciunt alibi telorum nubila nimbos,
Et cadit ex ipso mors numerosa polo.
andida diffusas stillantia marmora guttas,
Tot flent irriguis sæpè neceis lachrymis.
rtice sublimi, genibus subnixus vtrisque,
Ora gerens, senio ter veneranda graui,
se suos cineres Rex despiciebat in vrnâ,
Visus ad astanteis dicere, Talis eram:
ccepêre meos miserantia marmora vultus,
Scilicet, hanc prædam surripuère solo,
nsus abest, animaq́; carent spirantia saxa,
Eripere hanc prædam non voluère polo,
t consors Regina tori, consórsque sepulchri,
Nunc quoque blanditias dicere visa seni,
niugis à læua paulùm distracta sedebat,
Si liceat, propius congreditura, reor.
uide, quid libuit diuellere sculptor amantem?
Quantum erat, vt sineres oscula ferre viro?
medio monumenti, humilem sortita cauernam
Amborum læto corpora fusa iacent.
tumuli quæ viua virent in vertice saxa,
Arida iam morti succubuêre suæ.
ndet laxa cutis, latebris clauduntur opacis
Lumina, rarescit triste capillitium:
cileis nareis, tenuataq́; crura, manúsque,
Quicquid & in vitam mors cariosa potest,
ntulit in saxum, rigidæ manus æmula morti,
Fictaq́; stant vno Vitaq́; Morsq́; loco.

 Scilicet

Scilicet, hoc certè in ſimulacro integra ſuperbit,
Arsq́ peregrino non eget auxilio.
Expallet Marmor; Mors hunc petit ægra colorem,
Conticet; exanimes dedidicêre loqui.
Marmora felici multum debentia cælo,
Marmora iam vitæ reddita, iamq́ neci,
Quâ vos nata manu, ſic nos eludere dicam,
Senſibus vt credam vix ſatis ipſe meis?
Nimirum digiti vos expoliêre Latini,
Talia Barbaricæ non potuêre manus.
Viuite dum Cnydiæ ſimulacrum fama Diones
Praxitelis rarum ſera loquetur opus.

ELEGIA XVIII.

Ad Ioannem Ottingerum Germanum, Poëtam.

SIc ne meas etiam colis Ottingere camœnas,
Carminis vt partem te iuuet eſſe mei?
Et ſi forte ſuo iactat ſe Iulia vate,
Tinnitum mutæ quæ dedit vna fidi,
Non dubitas noſtris Elegis committere nomen,
Carmine quod meruit nobiliore cani.
Scilicet hoc vatis, quem protulit Heſsia, magni
Muſa per Heroos euehat alta pedes.
Hoc Logus, hoc cantet qui non bene nomen ab vrſa
Velius arguto carmine notus habet,
Nos, vt conſuemus numero ludamus inerti
Sæpe pharetrati delitias pueri.

Cante-

antemúsque genas dominæ, cantemus ocellos,
Labráque purpureis inuidiosa rosis;
Quæq; deos possunt incendere mollia verba,
Multáque quæ pretium dulce laboris habent.
on tamen interea possunt reticescere Diuæ
In me sinceri tot benefacta viri,
icta sed hæc vobis cupio vulgare per auras,
Ne taleis animos nesciat vlla dies.
e suas nuper peregrinum duxit in ædeis,
Pocula spumantis apposuítque meri.
Miscuit & Latio Lænei munera Phœbo,
Carminis exhilarans corda lepore noui.
octus Teutonico quod misit ab orbe Sabinus,
Dulce fluens; tenerum, mobile, molle sonans.
ro quibus officiis vbi me nil reddere cernit,
Abstinet officiis non tamen ille nouis.
uin & Erasmiacæ carmen quoque lene senectæ
Exhibuit, Flaccus quale sonare solet.
uale sua natum cupiant & in vrbe Quirites,
Quale canit tremulo gutture blandus olor.
uorum me semper memorem fore dicite Musæ,
Siue prememus humum, siue prememur humo.

Elegiarum Libri tertij &
vltimi finis.

In Ioannis Secundi Basia Andreæ Alciati ICti Epigramma.

EXtremum si post tot dulcia Basia *finem*
Neæra concesßit tibi,
Quin illum potius celebras? nocteisq́ beatas
Ad alta tollis sidera?
Si non concesßit, & adhuc tua mesßis in herba est,
Quò tot cataglottismata?
O segnem Veneris tironem, & perdere dignum
Quæ iam recepit præmia!

Nicolai Grudii in fratris sui Io. Secundi Poemata, Epigramma.

LIBER IPSE LOQVITVR,

TV quemcunq́ iuvat tenero cognoscere versu
Seria delicijs mixta Cytheriacis.
Basia *quem madidis delectant pressa labellis,*
Semper & alterius finis amoris amor.
Me lege. & admonitus properatâ morte Secundi
Carpe diem, volucri volvitur ille rotâ.
Ni facis, ereptum tempus lugebis amori,
Quum veniet rapido mors inopina pede.

IOAN-

IOANNIS SECVNDI BASIORVM

Liber unus.

Lilius Gregorius Gyraldus de Poëtis Lib. II.

Fuit & IOANNES SECVNDVS Hagiensis; cuius extant BASIA, quæ ab omnibus ita leguntur, ut basijs affici videantur.

BASIVM I.

CVm Venus Ascaniũ super alta Cythera tulisset,
Sopitum teneris imposuit violis;
Albarum nimbos circumfudit q; rosarum,
Et totum liquido sparsit odore locum:
Mox veteres animo revocavit Adonidis igneis,
Notus & irrepsit ima per ossa calor.
O, quoties voluit circundare colla nepotis!
O, quoties talis, dixit, Adonis erat!
Sed, placidam Pueri metuens turbare quietem,
Fixit vicinis basia mille rosis.
Ecce calent illæ, cupidæque per ora Diones
Aura, susurranti flamine, lenta subit.
Quotq; rosas tetigit, tot basia nata repentè
Gaudia reddebant multiplicata Deæ.

At Cytherea, natans niveis per nubila cygnis,
Ingentis terræ cœpit obire globum.
Triptolemiq́ modo, fœcundis oscula glebis
Sparsit, & ignotos ter dedit ore sonos.
Inde seges felix nata est mortalibus ægris:
Inde medela meis unica nata malis.
Salvete æternum, miseræ moderamina flammæ,
Humida de gelidis Basia *nata rosis.*
En ego sum, vestri quo Vate canentur honores,
Nota Medusæi dum iuga montis erunt,
Et memor AEneadûm stirpisq́ disertus amatæ,
Mollia Romulidûm verba loquetur Amor.

BASIVM II.

V*Icinâ quantum vitis lascivit in ulmo,*
Et tortiles per ilicem
Brachia proceram stringunt immensa corymbi,
Tantùm, Neæra, si queas
In mea nexilibus proserpere colla lacertis;
Tali, Neæra, si queam
Candida perpetuùm nexu tua colla ligare,
Iungens perenne basium;
Tunc me nec Cereris, nec amici cura Lyæi,
Soporis aut amabilis,
Vita, tuo de purpureo divelleret ore:
Sed mutuis in osculis
Defectos, ratis una duos portaret amanteis
Ad pallidam Ditis domum.

Mox

Mox per odoratos campos, & perpetuum ver,
Produceremur in loca,
mper ubi, antiquis in amoribus, Heroinæ
Heroas inter nobileis
Aut ducunt choreas, alternave carmina læta
In valle cantant myrteâ:
Quà violisq́;, rosisq́;, & flavicomis narcissis
Vmbraculis trementibus,
ludit lauri nemus, & crepitante susurro
Tepidi suävè sibilant
Æternum Zephyris; nec vomere saucia tellus,
Fœcunda solvit ubera.
urba beatorum nobis assurgeret omnis:
Inq́; herbidis sedilibus,
nter Meonidas primâ nos sede locarent:
Nec ulla amatricum Iovis
rærepto cedens indignaretur honore,
Nec nata Tyndaris Iove.

BASIVM III.

DA mihi suaviolum, dicebam, blanda puella,
Libasti labris mox mea labra tuis.
nde, velut presso qui territus angue resultat,
Ora repentè meo vellis ab ore procul.
Non hoc suaviolū dare, Lux mea, sed dare tantum
Est desiderium flebile suavioli.

BASIVM IV.

Non dat basia, dat Neæra nectar,
Dat roreis animæ suäveolenteis,
Dat nardumq́, thymumque, cinnamumque,
Et mel, quale iugis legunt Hymetti,
Aut in Cecropijs apes rosetis,
Atque hinc virgineis & inde ceris
Septum vimineo tegunt quasillo.
Quæ si multa mihi voranda dentur,
Immortalis in ijs repentè fiam,
Magnorumque epulis fruar Deorum.
Sed tu munere parce, parce tali,
Aut mecum Dea fac, Neæra, fias:
Non mensas sine te volo Deorum:
Non, si me rutilis præesse regnis,
Excluso Ioue, Dij Deæque cogant.

BASIVM V.

Dum me mollibus hinc & hinc lacertis
Astrictum premis, imminensque toto
Collo, pectore, lubricoque vultu,
Dependes humeris, Neæra, nostris:
Componensque meis labella labris,
Et morsu petis, & gemis remorsa,
Et linguam tremulam hinc & inde vibras,
Et linguam querulam hinc & inde sugis,
Aspirans animæ suäuis auram,

Mollem,

Mollem, dulcisonam, humidam, meæque
Altricem miseræ, Neæra, vitæ:
Hauriens animam meam caducam,
Flagrantem, nimio vapore coctam,
Coctam pectoris impotentis æstu,
Eludisque meas, Neæra, flammas,
Flabro pectoris haurientis æstum,
O, iucunda mei caloris aura:
Tunc dico, Deus est Amor Deorum,
Et nullus Deus est Amore maior:
Si quisquam tamen est Amore maior,
Tu tu sola mihi es, Neæra, maior.

BASIVM VI.

DE meliore notâ bis basia mille paciscens,
  Basia mille dedi, basia mille tuli.
Explêsti numerum, fateor, iucunda Neæra,
  Expleri numero sed nequit ullus amor.
Quis laudet Cererem numeratis surgere aristis?
  Gramen in irriguâ quis numeravit humo?
Quis tibi Bacche tulit pro centum vota racemis?
  Agricolamve Deum mille poposcit apeis?
Cùm pius irrorat sitienteis Iupiter agros,
  Deciduæ guttas non numeramus aquæ.
Sic quoque cùm ventis concussus inhorruit aër,
  Sumpsit & iratâ Iupiter arma manu,
Grandine confusâ terras & cærula pulsat,
  Securus sternat quot sata, quótve locis.

Seu bona, ſeu mala ſunt, veniunt uberrima cælo:
Maieſtas domui convenit illa Iovis.
Tu quoque cùm Dea ſis, Diuâ formoſior illâ
Concha per æquoreum quam vaga ducit iter,
Baſia cur numero cæleſtia dona coërces?
Nec numeras gemitus, dura puella, meos?
Nec lachrymas numeras, quæ per faciemq; ſinũq;
Duxerunt rivos ſemper-euntis aquæ?
Si numeras lachrymas, numeres licet oſcula; ſed ſi
Non numeras lachrymas, oſcula ne numeres.
Et mihi da, miſeri ſolatia vana doloris,
Innumera innumeris baſia pro lachrymis.

BASIVM VII.

CEntum baſia centies,
Centum baſia millies,
Mille baſia millies,
Et tot millia millies,
Quot guttæ Siculo mari
Quot ſunt ſidera cælo,
Iſtis purpureis genis,
Iſtis turgidulis labris,
Ocellisque loquaculis,
Ferrem continuo impetu,
O formoſa Neæra:
Sed dum totus inhæreo
Conchatim roſeïs genis,
Conchatim rutilis labris.

Ocel-

Ocellisque loquaculis,
Non datur tua cernere
Labra, non roseas genas,
Ocellosque loquaculos,
Molleis nec mihi risus:
Qui, velut nigra discutit
Cœlo nubila Cynthius,
Pacatumque per æthera
Gemmatis in equis micat,
Flavo lucidus orbe;
Sic nutu eminus aureo
Et meis lachrymas genis,
Et curas animo meo,
Et suspiria pellunt.
Heu, quæ sunt oculis meis
Nata prælia cum labris?
Ergo ego mihi vel Iovem
Rivalem potero pati?
Rivales oculi mei
Non ferunt mea labra.

BASIVM VII.

QVis te furor, Neæra,
Inepta, quis iubebat
Sic involare nostram
Sic vellicare linguam,
Ferociente morsu?
An, quas tot unus abs te

Pectus per omne gesto
Penetrabileis sagittas,
Parum videntur? istis
Ni dentibus protervis
Exerceas nefandum
Membrum nefas in illud,
Quo sæpè sole primo,
Quo sæpè sole sero,
Quo per dieisque longas,
Nocteisque amarulentas,
Laudes tuas canebam?
Hæc est, iniqua, (nescis?)
Hæc illa lingua nostra est,
Quæ tortileis capillos,
Quæ pætulos ocellos,
Quæ lacteas papillas,
Quæ colla mollicella
Venustulæ Neæræ,
Molli per astra versu,
Vltra Iovis calores,
Cælo invidente, vexit:
Quæ te meam salutem,
Quæ te meamque vitam,
Animæ meæque florem,
Et te meos amores,
Et te meos lepóres,
Et te meam Dionen,
Et te meam columbam,

Albamque turturillam,
Venere invidente, dixit.
An verò, an eſt id ipſum
Quod te iuvat ſuperba,
Inferre vulnus illi,
Quam læſione nullâ,
Formoſa, poſſe noſti
Irâ tumere tantâ,
Quin ſemper hos ocellos,
Quin ſemper hæc labella,
Et, qui ſibi ſalaceis
Malum dedêre denteis,
Inter ſuos cruores
Balbutiens recantet?
O, vis ſuperba formæ!

BASIVM IX.

NOn ſemper udum da mihi baſium,
Nec iuncta blandis ſibila riſibus,
Nec ſemper in meum recumbe
Implicitum moribunda collum.
Menſura rebus eſt ſua dulcibus.
Vt quodq; menteis ſuaviùs afficit,
Faſtidium ſic triſte ſecum
Limite proximiore ducit.
Quum te rogabo ter tria baſia,
Tu deme ſeptem, nec niſi da duo,
Vtrunque nec longum, nec udum:
Qualia teligero Diana

Dat

Dat casta fratri, qualia dat patri
Experta nullos nata Cupidines:
Mox è meis lascivia ocellis
Curre procul natitante plantâ:
Et te remotis in penetralibus,
Et te latebris abdito in intimis,
Sequar latebras usque in imas,
In penetrale sequar repôstum:
Prædamq; victor fervidus in meam
Vtrinque herileis iniiciens manus,
Raptabo, ut imbellem columbam
Vnguibus accipiter recurvis:
Tu deprecanteis victa dabis manus,
Hærensq; totis pendula brachiis,
Placare me septem iocosis
Basiolis cupies inepta.
Errabis: illud crimen vt eluam,
Septena iungam basia septies,
Atque hoc catenatis lacertis
Impediam fugitiva collum:
Dum, persolutis omnibus osculis,
Iurabis omneis per Veneres tuas,
Te sæpius pœnas easdem
Crimine velle pari subire.

BASIVM X.

NOn sunt certa meã moveant quæ basia mẽtẽ
Vda labris udis conseris, uda iuuant:

Nec sua basiolis non est quoque gratia siccis;
Fluxit ab his tepidus sæpè sub ossa vapor.
Dulce quoque est oculis nutantibus oscula ferre,
Autoresque sui demeruisse mali:
Sive genis totis, totíve incumbere collo,
Seu niveïs humeris, seu sinui niveo,
Et totas livore genas, collumq́ notare,
Candidulosq́ humeros, candidulumque sinum.
Seu labris querulis titubantem sugere linguam,
Et miscere duas iuncta per ora animas,
Inque peregrinum diffundere corpus utranque,
Languet in extremo cùm moribundus amor,
Me breve, me longum capiet, laxumq;, tenaxq;,
Seu mihi das, seu do, lux, tibi basiolum.
Qualia sed sumes, nunquam mihi talia redde:
Diversis varium ludat uterque modis.
At quem deficiet varianda figura priorem,
Legem submißis audiat hanc oculis,
Vt, quot utrinque priùs data sint, tot basia solus
Dulcia victori det, totidemq; modis.

BASIVM XI.

BAsia lauta nimis quidam me iungere dicunt,
Qualia rugosi non didicêre patres.
Ergo, ego cùm cupidis stringo tua colla lacertis,
Lux mea, basiolis immoriorque tuis,
Anxius exquiram quid de me quisque loquatur:
Ipse quis, aut ubi sim, vix meminisse vacat.

Audiÿt,

Audijt, & risit formosa Neæra, meumq;
Hinc collum niveâ cinxit & inde manu,
Basiolumq; dedit, quo non lascivius unquam
Inseruit Marti Cypria blanda suo:
Et, Quid, ait, metuis turbæ decreta severæ?
Caussa meo tantùm competit ista foro.

BASIVM XII.

QVid vultus removetis hinc pudicos,
Matronæque, puellulæque castæ?
Non hîc furta Deûm iocosa canto,
Monstrosásve libidinum figuras,
Nulla hîc carmina mentulata, nulla
Quæ non discipulos ad integellos
Hirsutus legat in scholâ magister.
Inermeis cano basiationes,
Castus Aonij chori sacerdos:
Sed vultus adhibent modò huc protervos
Matronæque, puellulæque cunctæ,
Ignari quia fortè mentulatum
Verbum diximus, evolante voce:
Ite hinc, ite procul, molesta turba,
Matronæque, puellulæque turpes.
Quanto castior est Neæra nostra,
Quæ certè sine mentulâ libellum
Mavult, quàm sine mentulâ poëtam?

BASIVM XIII.

LAnguidus è dulci certamine, Vita, iacebam
Exanimis, fusâ per tua colla manu.
mnis in arenti consumptus spiritus ore,
Flamine non poterat cor recreare novo.
m Styx ante oculos, & regna carentia sole,
Luridaq́ue annosi cymba Charontis erat:
ùm tu suaviolum educens pulmonis ab imo
Afflasti siccis irriguum labiis:
uaviolum, Stygiâ quod me de valle reduxit,
Et iussit vacuâ currere nave senem.
rravi: vacuâ non remigat ille carinâ,
Flebilis ad Maneis iam natat umbra mea.
ars animæ, mea Vita, tuæ hoc in corpore vivit,
Et dilapsuros sustinet articulos:
Quæ tamen, impatiens, in pristina iura reverti
Sæpè per arcanas nititur ægra vias.
Ac, nisi dilectâ per te foveatur ab aurâ,
Iam collabenteis deserit articulos.
rgo, age, labra meis innecte tenacia labris,
Aßidueq́ue duos spiritus unus alat:
onec, inexpleti post tædia sera furoris,
Vnica de gemino corpore vita fluet.

BASIVM XIV.

QVid profers mihi flammeum labellum?
Non te, non volo basiare, dura,

Duro marmore durior, Neæra.
Tanti iſtas ego ut oſculationes
Imbelleis faciam, ſuperba, veſtras,
Vt, nervo toties rigens ſupino,
Pertundam tunicas meas, tuasq́;,
Et deſiderio furens inani,
Tabeſcam, miſer, æſtuante venâ?
Quò fugis? remane, nec hos ocellos,
Nec nega mihi flammeum labellum:
Te iam, te volo baſiare, mollis,
Molli mollior anſeris medullâ.

BASIVM XV.

ADducto Puer Idalius poſt tempora nervo,
Stabat in exitium, pulchra Neæra, tuum:
Cùm frontem, ſparſosq́; videns in fronte capillos,
Luminaq́; argutis irrequieta notis,
Flammeolasq́; genas, & dignas Matre papillas,
Iecit ab ambiguâ tela remiſſa manu:
Inq́; tuas curſu effuſus pueriliter ulnas,
Mille tibi fixit baſia, mille modis;
Quæ ſuccos tibi myrteolos, Cypriósque liquores
Pectoris afflarunt uſque ſub ima tui:
Iuravitq́; Deos omneis, Venerémque parentem,
Nil tibi poſt unquam velle movère mali.
Et miremur adhuc, cur tam tua baſia fragent?
Duráque cur miti ſemper amore vaces?

BASIVM XVI.

LAtonæ niveo ſidere blandior,
Et ſtellâ Veneris pulchrior aureâ,
Da mî baſia centum,
Da tot baſia, quot dedit
Vati multivolo Lesbia, quot tulit:
Quot blandæ Veneres, quotq́ue Cupidines
Et labella pererrant,
Et genas roſeas tuas:
Quot vitas oculis, quótque neceis geris,
Quot ſpes, quotq́ue metus, quotq́ue perennibus
Miſta gaudia curis,
Et ſuſpiria amantium:
Da, quàm multa meo ſpicula pectori
Inſevit, volucris dira manus Dei:
Et quàm multa pharetrâ
Conſervavit in aureâ:
Adde & blanditias, verbáque publica,
Et cum ſuavicrepis murmura ſibilis,
Riſu non ſine grato,
Gratis non ſine morſibus:
Qualeis Chaoniæ garrula motibus
Alternant tremulis roſtra columbulæ,
Cùm ſe dura remittit
Primis Bruma Favonijs.
Incumbénsque meis mentis inops genis,
Huc, illuc, oculos volve natatileis,

Exanguemq́ue lacertis
Dic te sustineam meis.
Stringam nexilibus te te ego brachijs,
Frigentem calido pectore comprimam,
Et vitam tibi longi
Reddam afflamine basii.
Donec succiduum me quoque spiritus
Istis roscidulis linquet in osculis,
Labentémque lacertis,
Dicam, collige me tuis.
Stringes nexilibus me, mea, brachijs,
Mulcebis tepido pectore frigidum:
Et vitam mihi longi af-
flabis rore suävij.
Sic ævi, mea Lux, tempora floridi
Carpamus simul. en, iam miserabileis
Curas ægra senectus
Et morbos trahet, & necem.

BASIVM XVII.

QValem purpureo diffundit mane colorem
Quæ rosa nocturnis roribus immaduit;
Matutina rubent Dominæ sic oscula nostræ,
Basiolis, longâ nocte, rigata meis:
Quæ circùm facies niveo candore coronat,
Virginis ut violam cùm tenet alba manus:
Tale novum seris cerasum sub floribus ardet,
Aestatémque, & ver cùm simul arbor habet.

Me miſerum! quare, cùm flagrantiſsima iungis
Oſcula, de thalamo cogor abire tuo?
O ſaltem, labris ſerva hunc formoſa ruborem,
Dum tibi me referet noctis opaca quies!
Si tamen interea cuiusquam baſia carpent,
Illa meis fiant pallidiora genis.

BASIVM XVIII.

CVm labra noſtræ cerneret Puellæ,
Incluſa circo candidæ † figuræ, † corona.
Vt ſi quis ornet, arte curioſâ,
Corallinis eburna ſigna baccis,
Fleviſſe fertur Cypris, & gemendo
Laſcivienteis convocaſſe Amores,
Et quid iuvat, dixiſſe, purpuratis
Viciſſe in Idâ Palladem labellis,
Et pronubam magni Iovis ſororem,
Sub arbitro paſtore? cùm Neæra
Hæc antecellat arbitro Poëta?
At vos furentes ite in hunc Poëtam,
Et dira plenis tela de pharetris
In illius medullulas tenellas,
Pectúsque per, iecúrque per iocoſum,
Diſtringite acres perſtrepente cornu.
At illa nullo pertepeſcat igne,
Sed tacta pectus plumbeâ ſagittâ,
Torpeſcat imas congelata venas.
Evênit: imis uror in medullis,

Et torrido iecur liquescit igne;
Tu fulta pectus asperis pruinis
Et caute, qualeis aut maris Sicani,
Aut Adriæ unda tundit æstuosa,
Secura ludis impotentem amantem;
Ingrata! propter ista labra rubra
Laudata plector. Heu, misella, nescis,
Cur oderis: nec ira quid Deorum
Effrena poßit, & furor Diones.
Duros remitte, mollicella, fastus:
Istóque dignos ore sume mores:
Et, quæ meorum caussa sunt dolorum,
Mellita labris necte labra nostris:
Haurire poßis ut mei pusillum
Præcordijs ex intimis veneni,
Et mutuis languere victa flammis.
At nec Deos, nec tu time Dionen:
Formosa Divis imperat puella.

BASIVM XIX.

Mellilegæ volucres, quid adhuc thyma cana, rosásque,
Et rorem vernæ nectareum violæ
Lingitis? aut florem latè spirantis anethi?
Omnes ad Dominæ labra venite meæ.
Illa rosas spirant omneis, thymaq́ omnia sola,
Et succum vernæ nectareum violæ:
Inde procul dulces auræ funduntur anethi:
Narcißi veris illa mandent lachrymis,
Oebalijq́;

ebaliiq; madent iuvenis fragrante cruore,
Qualis uterque liquor, cùm cecidisset, erat;
Nectaréque æthério medicatus, & aëre puro,
Impleret fœtu versicolore solum.
Sed me, iure meo libantem mellea labra,
Ingratæ socium ne prohibete favis.
Non etiam totas avidæ distendite cellas,
Arescant Dominæ ne semel ora meæ,
Basiáque impressans siccis sitientia labris,
Garrulus indicij triste feram pretium.
Heu, non & stimulis compungite molle labellum:
Ex oculis stimulos vibrat & illa pareis.
Credite, non ullum patietur vulnus inultum:
Leniter innocuæ mella legatis apes.

BASIVM XX.

sive

Epithalamium.

HOra suavicula, & voluptuosa,
Hora blanditijs, lepôre, risu,
Hora delicijs, iocis, susurris,
Hera suaviolis, paríque magnis
Cum Dijs & Iove transigenda sorte;
Hora quâ poterat beatiorem
Nec Gnydi Dea sancta polliceri;
Nec qui cum pharetrâ pererrat orbem,
Curis gaudia dilicata miscens,
Pennâ splendidus aureâ Cupido;

Magni pronuba nec Soror Tonantis;
Nec qui floridulas Hymen puellas
Raptas è gremio tenace matrum
Involvit cupidis viri lacertis
Rupis incola floriger canoræ,
Advecta est, ſerie rotante cœli.
O, felix iuvenis, puella felix!
Felix ſponſe, cui cupita flamma
Iam nunc in geminis quieſcet ulnis,
Puella ætheriâ beata formâ,
Qualem magna Venus, velitque Iuno,
Et quæ caſside Martiâ refulget
Sancto vertice procreata Pallas,
Si iunctæ ſtatuant adire valleis
Vmbroſas iterum virentis Idæ,
Quâ ſpectanda vel hæc, vel hæc, vel illa,
Quovis iudicio ſuperba malum
Victrix aureolum reportet aſtris.
O, felix iuvenis, puella felix!
Felix ſponſa, cui cupitus ardor
Affuſus modò lectulo in beato,
Stringet colla tenacibus lacertis,
Inſigni iuvenis venuſtus ore:
Iſtis qui roſeïs tuis labellis,
Iſtis qui niveïs tuis papillis,
Iſto qui rutilante crine tactus,
Iſto lumine qui loquace victus,
Iampridem tacito voratur igni,

Lentumq́;

Lentumq́ increpat usque & usque solem,
Tardamq́ invocat usque & usque lunam.
O, felix iuvenis, puella felix!
Votis fervide sponse, parce votis,
Et suspiria mitte, mitte questus,
Tempus accelerat suäve: mitis
Exaudit gemitus Venus suorum:
Condit Cynthius ora, condit ora,
Seq́ gurgite perluens Ibero
Cedit noctivagæ locum Sorori.
Et quo gratior haud relucet ignis
Coniunctis animis amore dulci,
Producit caput, emicatq́ cœlo
Ductor Hesperus aureæ catervæ.
O, felix iuvenis, puella felix!
Iam Virgo thalamum subibit, unde
Ne virgo redeat, marite cura.
Iam virgo niveïs locata fulcris
Adventum cupiet tuum, tremétque,
Perfusa ingenuo rubore mâlas:
Forsan & lachrymis genæ madebunt,
Et suspiria fundet, & querelas.
At tu nil remoratus, & querelas,
Et suspiria, lachrymasq́ tolles,
Abstergens oculos tuo ore, dulce
Murmur pro querimoniȷs reponens.
O, felix iuvenis, puella felix!
Ergo, membra ubi virginis decoræ

Felix candida lectulus fovebit,
Membra languidulo parata somno,
Et molli quoque te toro locatum,
Supra purpureos beata reges,
Supra constituet Iovem Dione;
Mox te blandidicis parare rixis,
Mox te molliculæ parare pugnæ,
Motus occipies calore iusto:
Belli prospera signa non cruenti
Figens mille protervus hic & illic,
Collo basia multa, multa mâlis,
Labris basia plura, plura ocellis:
Repugnabit, & improbum vocabit,
Et dicet, Satis est, tremente voce,
Arcebítque manu proterva labra,
Propellétque manu manum protervam.
O, noctem ter, & amplius beatam!
Pugnet strenua, pugnet illa. pasci
Pugnando teneri volunt Amores.
Pugnando tibi duplicatus ardor
Vireis sufficiet novas in arma;
Tunc per candida colla, tunc per illud
Quod certat ebori nitore pectus,
Tunc per crura tenella, perq; ventrem,
Et quæ proxima sunt & huic & illis,
Saltu volve agili manum salacem;
Et tot millia iunge basiorum,
Quot cœlum rutilos tenebit igneis.

O, no-

O, noctem quater & quater beatam!
Nec desint tibi blandulæq; voces,
Et quæcunque iuuant perita verba,
Nec cum murmure sibili suäves,
Qualeis dant Zephyro sonante blandùm
Frondeis; quale columba, quale cygnus
Annosus moriente spirat ore:
Donec victa potentibus sagittis,
Et cæco Pueri volantis igne,
Paulatim minùs & minùs severa,
Ponet purpureum toro pudorem,
Collum in brachia nexuosa dedens,
Collo brachia nexuosa stringens.
O, noctem quater, ô quater beatam!
Tunc tunc oscula delicata sumes,
Nullis contemerata quæ rapinis
Hærebunt vario morata nexu.
Tunc lusus simileis, pareisq; virgo
Reddet delicias, & os hiulcum
Iampridem patulo licenter ori
Committens, animæ libidinoso
Fragrantis cupidum beabit haustu.
Mox lusu quoque molliore ludens,
Dicet blanditias suäviores,
Emittet digitos licentiores,
Finget nequitiam salaciorem.
O, noctem nimis & nimis beatam!
Tunc arma expedienda, tunc ad arma

Et Ve-

Et Venus vocat, & vocat Cupido:
Tunc in vulnera grata proruendum.
Huc, illuc agilis feratur hasta,
Quam crebro furibunda verset ictu
Non Martis soror, ast amica Martis
Semper læta novo cruore Cypris.
Nec quies lateri laborioso
Detur, mobilibus nec ulla coxis:
Donec deficiente voce anhelâ,
Donec deficientibus medullis,
Membris languidulis, madens uterque
Sudabit varij liquoris undas.
O, noctem nimis, ô nimis, beatam!
Sudate ut libet, & diésque longas,
Noctésque exigite impotente lusu:
Et brevi date liberósque dulceis,
Et longo ordine blandulos nepotes,
Quæ vobis senij minuta turba
Olim sollicitos levabit annos,
Arcebit querulos toro dolores,
Languentum tremulos fovebit artus,
Componet tumulo pios parentes.
O felix iuvenis, puella felix!

XXI.

De libello suo Basiorum.

C*Asta quòd enervi cantamus Basia libro,*
Versibus eludit fusca Lycinna meis,

Et me

Et me languiduli vatem vocat AElia penis,
Quæ Venerem in trivijs porticibusq́; locat.
Scilicet exſpectant noſtrum quoq́; noſcere penem?
Parcite turpiculæ; mentula nulla mihi eſt.
Nec vobis canto, nec vobis baſia figo.
Iſta legat teneri ſponſa rudis pueri:
Iſta tener ſponſus, nondum maturus ad arma
Exercet varijs quæ Venus alma modis.

XXII.

Ad Grammaticos, cur ſcribat laſciviùs.

CArmina cur ſpargam cunctis laſciva libellis,
Quæritis? inſulſos arceo Grammaticos.
Fortia magnanimi canerem ſi Cæſaris arma,
Factave divorum relligioſa virûm,
Quot miſer exciperemq́; notas, patererq́; lituras!
Quot fierem teneris ſupplicium pueris!
At nunc uda mihi dictent cùm Baſia carmen,
Pruriat & verſu mentula multa meo,
Me legat innuptæ iuvenis placiturus amicæ,
Et placitura novo blanda puella viro,
Et quemcumque iuvat lepidorum de grege Vatum
Otia feſtivis ludere delicijs.
Luſibus at lætis procul hinc abſiſtite ſævi
Grammatici, iniuſtas & cohibete manus:
Ne puer, ob molleis cæſus lachrymansq́; leporeis,
Duram fortè meis oſſibus optet humum.

FINIS.

PETRI SCRIVERII
EPIGRAMMA.

Martialis *aurem Batavam* de militibus Palatinis corporumq; AA. custodibus dixit : hincq; ortum Proverbium, sed planè distortum maleq; acceptum.

QVàm pingues habeat mores auresq; Batavus,
Ad Pallatinum qui movet arma latus ;
Omnis adhuc doceat miles, sanctiq; satelles
Corporis: à Clario gens aliena deo.
Nil Musis cum Marte. iocos quid Vatis Iberi
Distrahis? ah, doctos lædere parce viros.
Cultius his pectus, longeq; exactior auris,
Præ reliquis, magnus testis Erasmus erit.
Nec minor hic Vates, raptus iuvenlibus annis.
Vda dabunt certam Basia sola fidem.
Basia multivoli semper-laudata Secundi.
Basia suaviolis mixta, Neæra, tuis.
Quod volet in nostris desideret auribus Hospes?
Quod desit labris mollibus, ecquid erit?

ALIVD, EIVSDEM.

IN nostram opprobrium iocosq; , Lector ,
Aurem dicere si voles Batavam :
Legas Basia docta , sed Secundi ;
Negabis, puto , delicatiora.
Siq; aurem renues habere nostram,
Optabis labra, sed secunda Vati;
Secundo pote si dari secundum.

IOANNIS SECVNDI EPIGRAMMATVM Liber unus.

In Scholam Bituricensem, in quâ Andreas Alciatus Leges Civileis interpretabatur.

AEde quis hac habitat? Deus, an Dea? iam mihi mentem
Cynthius insolitâ relligione movet:
Et mihi iam versus facili nascuntur in ore.
Seu Deus heic habitat, seu Dea, Numen adest.
Et Deus hæc, & Diva potens sacraria servat.
Quæ Dea? de cælo quæ modò sera redit,
AEqua bonis nec iniqua malis quæ præmia librat.
Quis Deus? alato qui pede carpit iter,
Arcas Atlantiades, magno satus è Iove, cuius
Molle sub arguto pollice tinnit ebur.
Et potuit rursum cælo Dea iusta relicto
Cæde coloratas orbis inire vias?
Quæq; priùs metuens scelerum cunabula fugit,
In mala nunc audax inveterata ruit?
Scilicet hac cælum Virgo sub lege reliquit,
Vt duce Mercurio carpere posset iter.
Carpsit iter, primumq; vaga heîc vestigia fixit,
Iuncta ubi facundo cum duce regna tenet:

Insuetóque

Insuetoq́ modo, mentis decreta severæ
Ornat festivi dotibus eloquij.

In Petrum quendam.

CVm tu sis levior volante fronde,
Pluma, cortice, quíque sole puro
Per leveis atomi feruntur auras,
De petrâ tibi nomen hoc parentes
Mirabar tribuisse ponderosum;
Sed petram quoque pumicem vocamus.

Ad Carolum Catsium.

IAnus ancipiti vetustus ore,
Labentis tacitè novator anni,
Adest Carole, quid moramur? eia,
Vivamus, neque creduli futuris,
Carpamus spatium volantis anni:
Sic, ô, sic tua cuncta, Dij, Deæq́,
Non isthoc modò, pluribus sed annis
Fortunent, seriésque tota cœli
Sit patrona tuis amica votis:
In primis Dea, quæ creata ponto,
Vndosos animis movet tumultus;
Et, nunquam vacuâ gravis pharetrâ,
Et semper vigili timendus igne,
Lascivæ comes Aliger parenti;
Sint mites tibi, prosperéntque molleis
Quas dabunt tibi, vel dedere, flammas:

Multis

Multis basiolis fruaris, & te
Amantem sibi quæque quærat, & se
Substernat tibi, læta mollicellis
Formosissima quæque de puellis;
Nec poscat neque gratiam, nec æra,
Nec rubri spolium maris, nec aurum:
Sed charus magis ipse sis vel ære,
Vel rubri spolio maris, vel auro.

In Imaginem Herculis, Cupidinem tergo gestantis, ac propè succumbentis oneri.

A*Nte quibus cælum fuerat leve pondus, iisdem*
Nunc gravis est humeris sarcina, parvus Amor.

In Charinum, deformis uxoris maritum.

N*Vper, Charine, coniugem*
Vidi tuam; tam candidam,
Tam lacteam, tam floridam,
Cultam, modestam, blandulam;
Vt si mihi taleis bonus
Concesserit treis Iupiter,
Diti daturus sim duas,
Auferret ut superstitem.

In Medicum ſicarium & veneficum.

ES ſimul Medicus, ſimul Chirurgus:
Cur? mittis Stygium viros ad Orcum,
Et manu ſimul, & ſimul veneno.

In Paſſerem Glyceres.

HOſtili Paſſer felis raptatus ab ore,
Languit, exiguam depoſuitque animam,
Quem poſtquam Glycere illachrymans fovitque papillis
Frigidulum, & tepido rore rigavit amans,
Palpitat, & teneros reptat nova vita per artus,
Moxque vagus roſeâ proſilit è latebrâ,
Et fugit aërias non obſervatus in auras:
Illa dolet, gemitus & ciet ore graveis,
Guttaque per nitidas diſtillat vitrea mâlas,
Diſtinctum gemmis quale renidet ebur.
Ingrate (heu) nimiùm Paſſer, qui deſeris illam
Quicquid habes animæ munere cuius habes.
Diſſimilem, ô, ſortem. te, lux mea, te ſequor unam,
Cùm toties dulci me ſpolies animâ.

In alium paſſerem eiuſdem Glyceres.

IMproba de dominæ gremio dum provolat ales,
Corripitur dominæ comprimiturq́ manu.
Illa quidem moritur, ſed ſic iuvat ire ſub umbras:
Sæpè mori ſimili non nece poſſe, dolet.

Hoc

Hoc benè ſcit Glycere, formæ ſibi conſcia tantæ,
Inq́ ſinu tepido callida condit avem:
Nec mora, viſa movêre ſuas, & moverat, alas
Atque iterum dominam peſſima deſeruit:
Illa manu celerem ſequitur, cupit illa teneri,
Et manibus rurſum virginis immoritur.
Invidi, infelix, tam dulcia fata volucri,
Optaviq́ ÿsdem poſſe mori manibus.
Illa negat: ſortem, ô, miſeram! cur impia, curnam,
Cui vitam renuis, rennuis interitum?

In Poſthumum.

CVr Poſthumus cœnat foris?
Vt ne domi cœnet ſuæ.

In Marullum & Varium.

MArullus Variúsque Septimillæ,
Donavêre togâ novâ maritum.
Nunc ille ambulat huc & huc togatus,
Et tranſit fora, porticus, tabernas,
Vicos, balnea, fornices, propinas;
Nec toto decies reviſit anno
Delictam dominis domum novellis.
Securi modò ſæpè luce primâ,
Securi modò ſæpè ſole ſero
Securi medio die fruuntur
Marullus Variúsque Septimillâ.

In Lydiam, fœdum amatorem avidè amplexanrem oſculantemque.

D Itis amatoris cur lurida baſiet ora
Lydia, miratus ſæpius ante fui,
Deſino mirari, vidi cùm pinguia nuper
Nobilis ignavi lingeret ora canis.

In Lycoridem Toletanam.

S Ex faciem drachmis divendit Ibera Lycoris,
Iure quidem, tanti venditur illa foro,
Si bene perpendas, tantum cupit illa rependi
Quæ facit in vultu damna protervus amans,
Vix libanda dedit ſummis ſua labra labellis,
Pars empti ſubitò magna coloris abit.
Diſceditque labris pictis rubicundus amator,
Et ſibi lucenti plus placet in ſpeculo.
At ſi quis poſitos turbavit fronte capillos,
Fit citò crinitus, qui modò calvus erat.
Fortè ſenex patulo improbulus laſcivit in ore,
Dentibus efficitur ditior innumeris.
Callidus hanc Caius, tot ne diſpendia formæ
Sic redimat, mœcham manc fututor adit.

In Eandem.

M Itte peregrinis opplere coloribus ora!
Nudus Amor nudæ munera frontis amat.

In Antonium Moſsicam cum tauro pugnantem.

INcauto iuveni taurus ruit obvius, ille
Corripit iniectâ cornua bina manu,
Præcipitiſque feræ curſum confregit & iras,
Et iam fracturus cornua viſus erat,
Noluit: Alcidæ dedit hoc, ne fama taceret
Volvat adhuc mutilas cur Achelous aquas.

Diſtychon enſi inſcriptum.

PRo domino ſontem mihi fas haurire cruorem,
Cùm furor innocuum iuſtus in arma vocat.

Inſcriptio imaginis, formoſæ virginis, ad viuam effigiem à ſemetipſo cælatæ.

FErripotens melius poterat Mars ducere cæla,
Sed Veneris vinci non tulit ora ſuæ.

In Carolum V. Imp. P. F. A. cùm in Africâ pugnaret.

AEneæ ſanguis, formoſi ſanguis Iuli
Carolus, in regnum venit Eliſa tuum,
Vindicet à ſævo pius vt tua buſta Tyranno,
Armatas ducens per freta mille rateis.
Illius auſpicijs priſco reddentur honori
Mœnia, Romanâ quæ cecidêre manu.

Ergo age, in Aeneadas odium fatale remitte,
Spectatumque veni Cæsaris ora Dei.
Crede mihi, dices, huius si ardore perissem,
Causa meæ fuerat mortis honesta magis.

Ad Hieronymum Suritam, Cæsaraugustanum.

IN GRAMMATICOS.

SIte ruris opes iuvant beati,
Si te liberioris aura cœli
Salubris iuvat, arborumq; fœtu
Distinctus viror omnium colorum,
Si lenis tremulâ quies in umbrâ,
Quâ fagus patulis comata ramis,
Laurusve innuba, populusve pallens
Confringit rabiem Leonis usti.
Quâ centum querulæ strepunt volucres,
Et centum superat modos volucrum,
Crudum Threicij scelus Tyranni
Longâ Daulias integrans querelâ:
Qua stringit virideis amœna ripas,
Cristalloque liquente serpit unda,
Mox cum murmure bulliens sonoro
Pugnanteis aqua concitat lapillos.
Hæc si te recreant, amice dulcis,
Nec cœnare poëticis patellis,
Lactucásque times cucurbitásque,
Huc ad nos propera, ferásque tecum
Totum quicquid habes facetiarum,

Et quic-

Et quicquid ſalis, atque riſionis,
Triginta ſolidis diebus abſens
Servaſti accumulans tuo Secundo.
Sed te per Genium tuum, meosq́;
Per Faunos, Dryadesq́; per puellas,
Helleſpontiacum per & Priapum,
Nec de Grammaticis, amice, quenquam
Adducas precor huc, moleſta gens eſt,
Nec ridêre mihi liceret illos,
Vt mos eſt meus, omnibus cachinnis.
Nam quidam mihi rettulit Poëta,
Notæ Grammaticum ſeveritatis,
Nocteis atque dies dolenter angi,
Quòd nec Grammaticum vocare doctum,
Nec ſe Grammaticam vocare doctam,
In libri titulo ſui venuſti
Poßit, cùm generis ſit ipſe neutri.
Cui vates meus, vt gravi labore
Iam tandem miſerum ſenem levaret,
Securè pater, inquit, eloquêris
Si te Grammaticosq́; maſculinos
Tecum, Grammaticosq́; fœmininos,
Communeisq́; ſimul, ſimulq́; neutros,
Omneis, Grammaticum pecus vocabis.

In discessum suum ex Hispaniâ, cùm regionis aëre offensus gravissimè laboraret.

HEsperiæ fineis arenteis linquimus ægri,
Et petimus blandæ dulce solum patriæ.
Et, quorum in manibus melius moriemur, amicos:
Cur invisa meum terra moraris iter?
Cur mihi tot montes, & saxa obstatis eunti?
Vere quid in medio me fera pulsat hyems?
Ninguida diluvium mittit liquefacta Pyrene,
Et madidus pluvias Iuppiter addit aquas.
Parce meo cineri, iam non Hispania vivo.
Quid iuvat (heu) maneis sollicitare meos?
An verò, paucis cùm sis fæcunda Poëtis,
Laudem de tumulo quæris acerba meo?
Vt lubet; ipse tamen fugiam terrâque, marique;
Ne mihi sis etiam post mea fata, gravis.

In Cynthiam Propertij.

CYnthia te postquam mors abstulit atra, tuisque
Induxit furvas luminibus tenebras,
Tum verò simileis verita est Latonia casus,
Occideret nebulâ ne labefacta pari.
Et, quoties tellus fraternos impedit igneis,
Exemplum fati Diva tui metuit.

In Ca-

In Caroli V. Imp. Natalem.

CVr nive Cæsareus gelidâ natalis inhorret?
Candida uti foret hæc lux, voluêre Dei.
Cur igitur Phœbus latet aureus? haud opus illo est,
Phœbeum fundit Cæsar ab ore iubar.

In Neæram.

LVmina mî atque animum cœpit tua candida forma;
Moribus offendor, torva Neæra, tuis.
Nec mihi nuda places, sed cùm vestita recumbis.
Basia me capiunt, non amo concubitus.
Quot doteis Natura dedit, totidem tibi mendas
Addidit: & tamen (heu!) te te ego depereo.
Nimirum cœcus non est cùm pulchra tuetur,
Tunc Argum, tunc & Lyncea vincit Amor.
At mendas spectare, aversâ fronte, recusat,
Tunc & Tiresiâ cæcior, & Thamyrâ.

Ad Andream Alciatum, cùm Secundus ipse & Hadrianus Marius frater personati, figurâ Solis ac Lunæ, noctu ad eum venissent.

AVreus en Phœbus, soror en argentea Phœbe
Iungunt diversas nocte silente faceis.
Alciate, hunc tribuunt tibi Numina Lucis honorē,
Cuius in æternâ luce vigebit honos.

Miraris, nigrâ Phœbum te visere nocte?
Opposito laudes audijt Orbe tuas.

In Iovium.

TEnduntur nervi, formosa quiescit in ulnis,
Cypridis ad blandum sollicitatur opus,
Nec pesuadetur Iovius soletur vt illam,
O, nimium gelidâ relligione virum!

In fictos Amicos.

INtumeant Zephyris si turgida vela secundis,
Et veniant fatis omnia læta tuis,
Mille tibi comites, & mille parabis amicos,
Affinis, dominus, cunctaque solus eris.
At postquam, infidũ mutans semel aspera vultũ,
Ingruerit velis aura nociva tuis,
Tum qui iam fueras tot circumseptus amicis,
Et modò qui dominus, qui modo frater eras,
Hæc sola à cunctis infelix dicta reportas,
Quis mihi? quid tecum? proximus ipse mihi.

In Galliam.

CVm mihi de varijs traheretur sermo puellis
Tecum, déque bonis, Gallia, déque malis,
Sic mihi tùm memini te respondisse, supremum
Et finem verbis imposuisse meis.
Illa sapit demum quæ se putat insipientem,
Desipit hæc nimiùm quæ sibi, Iane, sapit.

Hîc ego, quid verò de te mea Gellia ſentis:
An ſapere, an contra ſtulta videre tibi?
Stulta refers ſum ſtulta mihi, ridésque ſuäve,
Scilicet officio quàm benè functa tuo.
At cave, ne, dum te ſic ſtultam dicis, vt iſto
Te mihi prudentem teſtificêre modo,
Gellia captatâ frauderis laude: nec eſſe
Prudens iudicio comperiare tuo.

In quendam ex tempore verſus facientem.

DVm te cuncta vident arctâ conſtringere lege,
Effugiunt linguam verba ſoluta tuam,

In Quendam.

DVm tu Elegos dicis quæ Heroica cærmina ſcribis,
Dignus eras veros qui faceres Elegos.

Ad Franciſcum Hoverium Maclinienſem, pro Marullo Poëtâ commodato.

EN, Franciſce, redit tuus Marullus
Aequè cultus vt ante, dives æquè,
Nec vel verſiculo minutus uno:
Theſaurum tamen ille iam reliquit
Nobis ex opibus ſuis perennem,
Nullo pauperior nec aſſe factus.
Qua pro re domino tot eſſe grateis

Relatas

Relatas cupimus, quot expolitos
Versus continet optimus Marullus,
Quot saleis lepidos, iocósque molleis,
Quot laudes veterum pias Deorum.

Ad Eundem.

CVm legerem facileis elegos, Francisce, Marulli.
Miratus lepidos cum gravitate iocos,
Et quis adhuc (inquam) sani modò pectoris est, qui
Vera neget Samij dicta verenda senis?
Cernimus, en, culti mentem remeasse Tibulli,
Corpore conclusam, culte Marulle, tuo.

In Gelliam.

SI non est grave, si vacat,
Cur vendis Venerem, dic mihi Gellia,
Cur vendis, quod emas libens?
At tu, si memini, sæpè soles priùs,
Cuius tantoperè es modo
Parca, & facta tenax, reddere sæpius
Quibuscunque rogantibus.
Aut si nemo rogans, nemo volens erat,
Ipsam te memorant pias
Effudisse preces, & iuvenum leveis
Pellexisse animos, tuum
In votum facileis, quisnam etenim neget
Oranti tibi, Gellia,

Quæso, tam pia, tam dulcia, tam bona?
At nunc, cùm tibi languida
Vultum ruga secare incipit, & novas
Inspargit capiti niveis
Aevi bruma rigens, nec modò dentibus
Os superbit eburnëis,
Nec labris remanet qui fuerat decor,
Et fugit color ille, qui
Tingebat niveas purpureus genas,
Cur nunc, cur subitò Venus,
Quam nunc te deceat vel dare maximè,
Emptam quam vel oportuit,
Cur nunc illa tibi, cur, rogo, venditur?
Non hoc, non tibi parcitas,
Quæ pigro senio sæpè comes venit,
Non, si te benè novimus,
Hoc suadet nova nunc, Gellia, castitas:
Sed, si conijciam finis,
Divinabo equidem, sim licet ipse nec
Vates, nec teneam sagax
Aut cantus volucrum fata canentium, aut
Pennæ præpetis omina,
Olim cùm roseas prima iuventula
Pinxissetq́ genas tibi,
Pinxissetq́ simul labra corallina,
Nata ad dulcia basia,
Atque instructa suis lumina spiculis
Ornasset cilijs nigris,

Tum

Tum tu, quas dederat pulchra Venus tibi
Doteis omnibus affluas
Gratis larga dabas, ſcilicet has tibi
Sperans perpetuas fore:
At poſtquam periјt læta iuuentula,
Et iam te in ſpeculo videns,
Formam longè aliam cernere cogeris,
Et rugis faciem aſperam,
Canosq́ue ad ſpeculum vellere limpidum
Inviſos miſera occipis,
Tum demum gemis, & te miſeret tui,
Et lapſos viridеis malè
Nulla fruge dies, Gallia, devoves,
Et lucri in ſenium nihil
Quæſiviſſe dolet, pœnitet, & pudet,
Ergo, dum licet, & brevi
Comprendi numero canicies poteſt,
Et rugæ numerabiles,
Nec dum, læſa parum, forma virentibus
Planè ſpernitur à viris,
Iam mutas animum callida prodigum,
Et, mirantibus omnibus,
Aurum difficilis muneraq́ue expetis,
Vt, poſtquam tremulo gradu
Deforme adfuerit mox ſenium tibi,
Et nemo fuerit, tuis
Qui iunxiſſe labris oſcula pallidis,
Mollem tangere qui ſinum,

Qui corpus cupiat cernere mortuum,
Non desit tibi scilicet,
Quo tum rursus emas, quod modò venditur.

In Eandem.

G*Ellia, miraris, cur auro vendat amorem?*
Scilicet, ut, sit, quo callida rursus emat.

In Bibliothecam Imp. Caroli V. quæ est in Curiâ Hagiensi apud Batavos comparata impensis Ioannis Harij Canonici.

E*Cquid adhuc sacri, virideis Helyconis ad vndas*
Quæritis Aonias, nescia turba, Deas?
Heic nunc Musarum domus est, heic doctus Apollo,
Heic posuit sedeis Dorica Diva suas.
Hoc meruit sacriq; chori Christiq; sacerdos
Harius, in libros qui benè vertit opes.

In Calumniam Luciani, versam per Rumoldum Stenemolam.

Q*Vas struit innocuæ versuta Calumnia vitæ,*
Mille cupis fraudes noscere? mille dolos?
Perlege quod mediâ Rumoldus ab Hallade sumtum
Nobile Palladiæ transtulit artis opus.

In Dia-

In Dialogos aliquot Luciani, carmine Latino à ſe & fratribus redditos.

QVi cupis à tetricis pauliſper ludere curis,
Et dare ridiculis tempora pauca Deis,
Hæc lege, quæ nuper ſermone vagantia laxo
Græca, per Auſonios iuſsimus ire pedes.
Primus mellifluo quondam hæc dedit ore diſertus
Lucius, ille hominum riſor, & ille Deûm.

Ad Ioannem Schorellium Pictorem, Propempticon.

I fauſto pede, patrias ad vrbeis
Divinæ renovator artis, ito:
Nec picus vetet ire te moleſtus,
Nec cornix iter ominoſa rumpat:
Faunus dux erit, & celer Deorum
Interpres, liquidas volans per auras.
I, fauſto pede, patrias ad vrbeis.

In Bubalum, malum Poëtam.

DAedala mens hominum quicquid ſcrutata, quod aut os
Protulit, artificum vel poſuêre manus,
Agrippa hoſtili totum laceraverat ore,
Auſus in Aonias ſumere tela Deas.
Non tulit hoc vates, &, numine concitus æquo,
Bubalus in ſontem carmina dira canit.

Quod.

Quodq; magis laudes, nullo suadente favore
Scribit, & ignotis fert miseratus opem.

In eiusdem ineptum carmen, de morbo suo : quod *Morbilogum* appellavit.

BVbalus ægrotat: Pæan succurre Poëtæ,
Ne, quoties languet, tam mala verba vomat.

In picturam Icari.

TRamite securam medio decurrite vitam:
Sit satis hoc Pueri vos didicisse malo,
Torrida Phœbeo qui dum loca pervolat igne,
Ignoto posuit nomina prima mari.

In Cæsareum triumphum Bononiæ post coronationem celebratum, ab Nicolao Hogenbergo sculptum impressumque.

CAesareas, Sanctiq; Patris longo ordine turmas
Aspice, & artificem ter venerare manum;
Tradere quæ potuit rigido mansura metallo
Nomina magnorum tot generosa virûm.
Victor Hogenbergus quod per tua secula cernas
Hoc tibi, Posteritas vivida, fecit opus.

In idem opus.

CAesar, & Hesperiis & qui dominaris Eois,
Accipe quod tenebris te prohibebit opus

Non fato veniente cades, multosq́ʒ ſecutus,
Ignotum longâ nocte premere caput:
Sed, cùm victuris victurus Carole chartis,
Ibis ad Antipodum regna, ſecutus avum.

In magnificas ædeis, quas Bruxellæ ſtruxit Maxæmilianus Tranſſylvanus.

CErne, Hoſpes magni ſalientem è vertice patris
Inſignem galeâ, clypeoq́ʒ, & cuſpide Divam.
Aſpice Mulciberum, quem diſſecuiſſe cerebrum
Altifremi gravidum Iovis, obſtetrice ſecuri,
Finxerunt veterum mellita poëmata Vatum.
Quiq́ʒ gerit pedibus celeres & vertice pennas
Mercurium, namque hic præſto eſſe per omnia patri
Creditur, & iuſſas deferre per aëra voces.
Cerne & vocaleis tentantem pollice nervos
Threÿcium Vatem, qui carmine ſaxa potenti,
Vrſosq́ʒ, tigresq́ʒ trahit, rabidosq́ʒ leones,
Dum gemit Euridices fatum miſerabile raptæ,
Perſephonenq́ʒ poteſt rigidam mollire canendo.
Denique ſupremâ meritò quam ſede locavit
Ingenioſa manus, procul à tellure remotam
Suſpice divinam Sophiam, quæ arcana polorum
Rimatur, monſtratq́ʒ viam quà ſidera tangas.
At tibi dent Superi, quod Tranſſylvane mereris,
Qui facis, Auſoniæ minus invideamus vt vrbi.

Tria

Tria mala.

QVæ mala sint hominum rebus tria maxima, scire
Quæris? habe paucis, fœmina, flamma, fretum.

In libellum Ioachimi Rolandi Maclinienſis, Medici, De novo morbo Sudoris.

QVi cupis ignotæ naturam discere pestis,
Et formidatæ doctus opus furiæ,
Spicula securus vapidæ contemnere mortis,
Accipe quâ vites callidus arte malum:
Accipe quâ tollas cùm iam penetraverit ossa:
Accipe quâ claudas & redeuntis iter:
Scilicet hæc multo tibi dat sudata labore,
Gloria Macliniæ lausq; vel una suæ,
Primus Apollineâ Ioachimus in arte medendi:
Quæ nuper miseros dum latüêre homines,
Heu quot in ardenti fumarunt corpora lecto?
Mortis & ignotas extimüêre vias?
Heu quot ubique animas exsudavêre tepenteis,
Transmissi Stygijs in nova regna vadis?

Ad Romoldum Stenemolam, præceptorem ſuum, quum ei Amatorias aliquot Elegias mitteret.

CVi mitto calidos, novos Amores?
Nec satis lepidos, nec expolitos?

Nimirum tibi; namque tu putabis
Meas esse aliquid Romolde nugas,
Assuetus genium probare nostrum,
Iam tum, quum imperio tuo sonabam
Parvus carmina rennuente linguâ.
Ergo, habe tibi quicquid hoc Amorum est:
Et quicquid venit à meis Camœnis,
Totum crede tui laboris esse.
Mox autem recitare plura certum est,
Quom nos Haga brevi tenebit ambos,
Et iuncti pariter locum teremus
Sacratum Veneri, & novem Deabus,
Longo quâ tilia explicata tractu,
Diffundens patulos opaca ramos
Frangit Sideris impotentis æstum.

Ad matronam quandam: ut iræ mariti cedat.

MItibus obsequijs animos compesce feroceis:
Tristis in iratos non habet ira locum.
Libera quæ ripis diductis unda vagatur,
Tranquillum tacito tramite radit iter:
Hæc eadem fineis si constringatur in arctos,
Præcipiteis rauco murmure rumpit aquas.

In duos

In duos amanteis, mutuò se basianteis in æde sacra.

STate cum pulchris iuvenes puellis,
Iungite & dextras, neque templa, nec vos
Ara divellat veneranda Divûm.
Quin inauratæ temerentur aræ
Aureo pro Basiolo puellæ.
Lædit, & magno hic pudor est pudori.

Voluptatibus omnibus adhibendum esse modum.

ESt modus & dulci: nimis immoderata voluptas
Tædia finitimo limite semper habet.
Cerne novas tabulas, rident florente colore,
Picta velut primo Vere coruscat humus:
Cerne diu tamen has, hebetataque lumina flectes,
Et tibi conspectus nausea mollis erit:
Subque tuos oculos aliquid revocare libebit
Prisca quod incultâ secla tulêre manu.

Detestatio mortis accersitæ.

QVid iuvat, heu, ferro fatum properare? vel vndis?
Sponte venit, tacitum nec remoratur iter,
Scilicet hæc omnis spaciosum turba per Orbem
Victima Plutonis nil miserantis erit.
Vnum omneis exspectat iter: quod Troïus heros,
Quod Numa, quod Tullus dives, & Ancus ijt.

Amorem esse immedicabilem.

ARtifices herbæ ſanant genus omne malorum,
Solus Amor medicam ſpernit & horret opem.

In eandem Sententiam.

ACcerſit medicas curas quodcunque malorũ eſt:
Ipſe ſibi vulnus nutrit acerbus Amor.

In commendationem Topicorum Legalium Nicolai Everardi, patris.

COnſtituunt aliĳ duro de marmore ſigna,
Conſtituit tabulas ille vel ille ſibi,
Ille domus fundamentis deponit in imis
Quæ referant vultus æra notata ſuos;
Scilicet hæc olim multos manſura per annos
Poſt obitum vitam reddere poſſe putant,
Tempore ſed tabulæ intereunt, & tẽpore marmor,
Rubigo in cinereis & dabit æra leveis.
Attamen ut maneant, nil, quàm ſine mẽte figuram,
Et certè nil quàm corpus inane dabunt.
Docte Parens quãto hæc melius poſt fata relinques,
Teſtentur mentem quæ monimenta tuam?
Nomen inextinctum ad ſeros mittantq́ nepotes,
Vsq́ ſub extremos non peritura dieis?
Nempe vrbes donec, & prædia ruſtica donec,
Donec erunt ripæ, flumina donec erunt,

Donec

Donec patris erunt & donec iura patroni,
Iura cerebrosi donec erunt domini,
Dum puer, imperio tutoris pressus acerbo,
Damnabit longæ tempora lenta moræ,
Dum iuvenis, tenerũ imprudens fraudatus ob ævũ,
Prætoris mitem sæpè requiret opem,
Donec, sacratæ legis præcepta secuti,
Convenient socio fœmina virq́ue thoro,
Donec supremâ moriens testabitur horâ,
Scribet & in tabulis iussa tremente manu,
Dumq́ue reus, dumq́ue actor erit, dum caussidicorum
Perstrepet insano vendita lingua foro,
Iudex arbitrio dum liteis dirimet æquo,
Præmia dansq́ue bonis, præmia dansq́ue malis,
Vsque tuum toto nomen celebrabitur Orbe,
Longaq́ue durabit secula fama recens.

Aliud, in eundem Librum, designans primis ac postremis singulorum versuum literis libri Autorem.

N *Icoleos vario longum quæsita labor* E
I *sta dat, extremâ iam renovata man* V
C *aussa novi studij Iuvenes, curæq́ue resumpta* E
O *si quis vobis est pietatis amo* R,
L *æto animo, gratâque manu nova sumite don* A,
A *ccipiat pretium hoc cura gravisque labo* R.
V *tile sic vobis uti sit dent Numina, quicqui* D
S *udavit clari mens operosa vir* I.

De Fortuna, an ſit cœca.

CVr Fortuna oculis carere fertur?
Iuſtos quòd premit, & beat nocenteis,
At verò hac ratione cœca non eſt:
Internoſcat enim bonos malosq́;,
Illos ut premat, hos iuvet, neceſſe eſt.

In Commentarios Petri N. in Somnium Scipionis.

LOngo Scipiadæ ſopore merſi
Scripſit ſomnia Tullius diſertus,
Nigrâ ſomnia nigriora nocte.
At noſter modò ſomnÿs repertus
Interpres facilis tenebricoſis
Petrus Occiduâ profectus orâ,
Tandem illa explicuit nitore multo,
Clarâ ſomnia clariora luce.
Sic iam ſic vigilant uterque Vatem
Per noſtrum, Ciceroque Scipioque.

Ad Ianum Lucium Braſsicanum Poëtam.

SCulpſi, quodque manus & cæla dedêre peregi
Exanimum ſpectas, & ſine voce, caput,
Vtque diu vivas per nos in imagine parva,
Longáque conſpicias ſecula, mutus eris.
Ergo, age, perpetuum lapidi tu Iane ſilenti,
Carmine vocali, nam potes, adde ſonum.

Ad Franciſcum Craneveldium Senatorem, Poëtam.

QVale viatoris, ferventi ſidere, flumen
Ora repentino ſicca liquore beat,
Tale tuum nobis carmen, Vir magne, removit
Si quid in affecto corde caloris erat.

Ad Lucium Angelum Andream Reſendium Luſitanum, Poëtam.

QVod tibi Pierios Vrbs aſpiravit odores
Divite quâ Delus nat ſinuoſus aquâ,
Turris ubi vaſtæ moles operoſa ſuperbit,
Mœniaq́ꝫ hoſtili non ſuperata pede:
Non honor ille mihi debetur, docte Reſendi,
Debetur fratri non honor ille meo,
Sed ſua Theſpiades oblectamenta ſecutæ,
Plectraq́ꝫ Phœbæis æmula pectinibus.
Perteſæ laticesq́ꝫ ſuos, & Apollinis odas,
Hæſerunt lateri magne poëta, tuo,
Tectaq́ꝫ cum ſacro ſubierunt hoſpita vate,
Mox & odorato rore rigatur humus,
Veſtiturque locus violis, quas legerat ipſa
Permiſſi in ripis Calliope roſeis.
Hinc tibi Caſtaliis fragrarunt dotibus auræ,
Fallor? an & noſtris naribus hæſit odor.

Ad Gemmam Phrisium, Mathematicum.

GEmma, cui secti patuerunt invia mundi,
Et quicquid longâ vidit vertigine Phœbus,
Cui nubeis superare vagas, sedeisque repostas
Mente datum sanctâ est, & avito currere cœlo,
Fataleisque rotas tereti suspendere ligno,
Immortale feres nomen, dum gemma feretur
In digitis, fulvoque decens radiabit in auro,
Phœbæique terent iteranda volumina currus.

In Lacum, in quo submergebatur Biturigibus Hieronymus Moresinus, Mediolanensis, Anno 1532.

ABi Hospes hinc, locumque linque famosum,
Hæc est vorago Dijs sacrata Lethæis,
Colore quam squallere cernis obscœno,
E luridi cognatione Cocyti.
Hæc illa dira, immitis, illa crudelis,
Iuvenem in tenebras quæ modò nigras mersit
Fortem, virentem, nobilem, Italâ ex gente,
Inque ima raptum, per vias humo occultas,
Vnde est origo pestilens aquæ terræ,
Demisit undas hinc adusque Lethæas.
Abi Hospes hinc, locumq́; linque famosum,

In Pon-

In ponticum quendam, Hiſpanum.

ATtrectans digito muliebria, læſerat ungue
Ponticus; hunc reſecat dente. venuſtus homo eſt.

In picturam fabulæ Phaëthontis.

DVm patrios moderatur equos Puer impare dextrâ,
Perque ignota vagum ſidera currit iter,
bis opes varias cinerem mutavit in unum.
Ah, diſcat vireis noſcere quiſque ſuas.

In Gallum renovantem bellum, atque Aquilam provocantem.

ARmigerum ne Iovis, volucris criſtata, laceßis?
Tamne citò exciderunt vincula Ibera tibi?
uid petis Italiam tam longo Galle volatu?
Innumeros Gallos illa recondit humus.
uòd ſi longinquas cura eſt tibi viſere ſedes,
Idæi montis culmina celſa petas,
rritamq; colas matrē, & cava tympana palmis
Concute ut horriſono cornua rauca ſono:
rreptuſque furore, hoſti quæ tela parabas,
Inguinis hæc facias cæde cruenta tui:
lia namque decent Gallum, non arma movere,
Et terram bellis concutere & maria.

In eun-

In eundem.

EXemplum infandi sceleris Scarabæe relinquas,
Ipse etiam Gallus nunc movet arma Aquilæ,
Galle cades, nostrique ales Iovis æthereique
Cristatum sævo conteret vngue caput.

In Arcem reginæ Albæ, Parisiis.

CErnite, flaventeis ubi voluit Sequana lymphas,
Semirutam, fertur quam coluisse priùs
Effera funestæ regina libidinis, arcem,
Nunc ultore mali ut tempore sola iacet?
Et, quassata undis, ventis habitatur & imbri,
Multa ubi ferales nocte querantur aves:
Cypris ubi mitis, flammas exosa cruentas,
Chaonias sedem ponere nolit aveis:
Quâ strix, quâ Furiæ volitent, quâ plurima fatum
Exululet raucis questibus umbra suum.
Sic domus æternùm numerosæ conscia cædis
Impia lascivæ facta luit Dominæ.
Labuntur, lentis & condemnata ruinis
Implorant hominum pendula saxa manus.
Implorant frustra: stant hæc rata lege severâ,
Instauratricem ne ferat ullus opem,
Aut subeat gladios, pretium pietatis iniquæ:
Et quis adhuc ausit facta nefanda sequi?
En, etiam saxis mortem censura minatur;
Longáque post cineres stant monimenta mali.

Ad Grammaticos.

DIcite Grammatici, cur maſcula nomina cunnus,
Et cur fœmineum mentula nomen habet?
ic ego: ſic aliquis ſenior de gente verendâ
Rettulit, attollens longa ſupercilia,
Mentula fœminei gerit uſque negotia ſexus,
Inde genus merito vendicat illa ſibi.
ıdefeſſus agit res qui ſine fine virorum
Maſcula non temerè nomina cunnus habet.

ꞌd Lucium Angelum Andream Reſendium Poëtam, Monachum.

ANgele ad immeritas laudeis ignoſce tacenti:
Sic tua decliveis plectra morentur aquas,
ocaleisque modos ilex aurita ſequatur,
Mitiùs & ſortis te premat ira tuæ,
ꞌec te perpetuò gravet imperioſa cuculla,
Sed tua purpureus tempora cingat honor:
ꞌuæque gerit laurum frons, mox gerat illa galerū.
Hæc ego: fatipotens hæc rata Phœbe velis!

In Puellas Bituricenſeis.

HEi mihi, formoſas iſto qui quærit in orbe,
Creſcentem ſegetem quærit in Oceano,
ortè duæ vel tres magnâ viſuntur in vrbe,
Nobile deformeis quas decus eſſe vetat:

His

His adiunge decem, quas non contemnere poßis,
Cætera monſtrorum nomine turba venit.
His tamen accumbunt iuvenes, dignæq; videntur
Cum quibus extensâ prælia nocte gerant.
Illos poſſe putem rabidæ concumbere tigri,
Inque cruentatas turpiter ire lupas.

EPIGRAMMATA QVÆDAM E GRÆCO CONVERSA.

In vanitatem vitæ humanæ.

OMnia ſunt riſus, ſunt pulvis, & omnia nil ſunt,
Res hominum cunctæ nam ratione carent.

In eandem ferè ſententiam.

VIta hominum ſcena eſt, luſusque; aut ludere diſcas
Sepoſitis curis, aut miſeranda feras.

In ſubitò diteſcentem.

NOn fortuna favet dum te ſic tollit in altum,
Sed docet arbitrio te quoque ſtare ſuo.

In fortunam modicam.

NOn ego divitias cupio, ſed vivere tantùm
Ex paucis, dum ſint omnia tuta mihi.

Senex

Senex dives, de se.

Auper eram iuvenis, nunc tandem ætate senili
Ditesco; hei misero, tempore utroque mihi.
ti cùm poteram, nummorum copia deërat:
Copia nunc superest larga, sed usus abest.

Idem fusiùs.

QVid facis, ô, paßim mortalibus æmula sors? quid
Me sic habes ludibrio?
lim cùm mediâ viridem florêre iuventâ
Datum fuit, cùm perfrui
ivitijs poteram sine sollicitudine, tum tu
Opeis negabas invida:
unc verò tandem, gelidâ adventante senectâ,
Atque ijs vetante perfrui,
as mihi divitias. O, quàm nec tempore in omni,
Nec cuncta, nec das omnibus?

In Nanum.

A Vsus formicæ Nanus conscendere tergum,
Credebat domito sese elephante vehi.
At verò, ut cursu fertur nimis illa superbo,
Infelix mediâ præcipitatur humo,
lcatusque miser, quid rides invide casum,
Dixit, communem cum Phaëtonte mihi?

In Cu-

In Cupidinem camino insculptum.

FLammivomo Veneris quisquis fuit ille camino
Qui sculpsit Puerum, credite, doctus erat.
Scilicet æternæ penes hunc custodia flammæ est,
Per quem sopitus non queat esse focus.

In Venerem Cnydiam Praxitelicam.

CErnere dū cuperet propriamCytherea figuram,
Venit in undosam per mare vecta Cnydum.
Vtque oculis totam lustraverat undique formam,
Dixit, Praxiteli visa ubi nuda fui?
Non te Praxiteles vidit Dea magna, nec est fas
Cernere conspicuas, & sine veste Deas.
Qualem Mars voluit, talem finxêre Dionem
Ferrea belligero subdita cæla Deo.

In Icarum cereum in balneis positum. Latiùs, quàm in Græco, redditum.

QVæ mortis tibi causa fuit, nunc Icare vitam
Artifici spirans dat tibi cera manu.
Proque mari infausto genialia balnea servas,
Teque natatores, & tua facta canunt.
At tu deceptæ cave nunc quoque fidere pennæ,
Balnea funesto ne celebres titulo;
Nec tibi sit tepido tua membra fovere lavacro,
Ne liquefacta tibi turpiter ossa fluant.

In buc-

In bucculam Myronis.

Dicito paſtori noſtro, ſi videris, Hoſpes,
Hîc moror artificis quòd religata manu.

In Veneris ſtatuam.

Nuda Venus nulli viſa eſt, ſi viſa ſed ulli eſt,
Hic vidit, nudam qui ſtatuit Venerem.

In deliberatam mortem.

Fata mihi properata canunt qui ſidera ſpectant,
At properata nihil fata Seleuce moror.
Ad Stygias deſcenſus aquas eſt omnibus idem:
Serius, aut citius, una terenda via eſt.
i priùs emoriar, priùs & Minoa videbo,
Lethæumque lacum, tergeminumque canem.
terea mihi vina, puer, flaventia miſce:
Et mihi ſubſternat Lydia molle femur.
rco iter eſt pedibus: Venus, & mihi Bacchus equorum
Sint vice: tam longam ſic iuvat ire viam.

In Medicum quendam.

Dilectũ Medicus gnatum ad me miſit, ut illum
Grammatices primis imbuerem ſtudiјs.
Aſt ubi, Muſa refer furias Pelidis & iram,
Norat, & hoc carmen quod ſolet indè cani,

Multas qui forteis animas sub Tartara misit,
Discipulum nostris detinet à foribus:
Meque videns genitor; tibi sum devinctus amice,
Gnatus at è nobis hæc benè discet, ait:
Namque & ego multas animas sub Tartara mitto,
Nec mihi Grammatici tunc opus est operâ.

Quis felix.

P *Rimus, qui nulli debet: sortem inde secundam,*
Iudice me, cælebs: tertius, orbus habet.
Si tamen uxorem quis habebit, dote receptâ,
Rectè erit, obtingat si tumulare malum.
Isthæc doctus abi: sape. quærere frustra Epicurum
Quæ tandem monades sint, & inane, sinas.

Surdum Iudicium.

C *Vm surdo lis est surdo, sub iudice surdo,*
(Vt similem simili iungit vbique Deus)
Ille petit pretium pro menseis quinque locatis
AEdibus, hic noctu se moluisse refert:
His iudex, an non ex æquo mater utrique est?
Quid porro restat? tollite uterque simul.

Finis Epigrammatum.

IOANNIS SECVNDI ODARVM

Liber unus.

ODE I.

Carolo V. Romanorum Imp. coronato.

ADeste, magni progenies Patris
Musæ, potenti carmina Cæsari
Cantate, quæ fides priorum
Hactenus haud tetigêre Vatum.
Quæ saxa rursum, quæ moveant feras,
Aquasq; sistant blanda volubileis,
Quæ mulceant aureis canore
Omnium ubique hominum suâvi.
Gaudete cives, plaudite, plaudite,
Gaudete quotquot terra tenet bonos,
Curasq; tristeis, atque acerbos
Pellite pectoribus dolores.
Sumpsit sacrato debita vertici,
Post tot moras, tandem diademata,
Ille optimusq;, maximusq;,
Ille vagum domiturus orbem.
Erro? an ne vati talia fervido
Sagax futuri Cynthius indicat?
Quæcunque suggeris, precamur,
Vt superis rata sint, Apollo.

Et noſcat Ortus, noſcat & Occidens
Vnum potentem Cæſara Carolum:
Quo mitius, clementiusq́
Nil dederuntve, dabuntve ſecla.
Non ſi recurrant tempora, quæ Iovis
Ferunt parentem falciferum ſenem
Rexiſſe, cùm Fides, ſororq́
Iuſta pio ſupereſſet orbi.
Ergo querelas ponite lugubreis,
Ergo repoſtum promite Cæcubum,
Hæc, hæc dies, hæc eſt choræis,
Hæc rutilis decoranda flammis.

De Veris diſceſſu.

IAm Ver præteriit dulce, nec amplius
Parui cædem Ityli carmine lugubri
Plorat Daulias ales,
Alta ſtans ſuper arbore.
Iam ſolis radio Cancer inæſtuat,
Iam feſſus gelidas cum grege languido
Paſtor quæritat umbras,
Vmbras frigus amabile.
Et cuius radios ante cupiverat,
Vicino nimium plurima Cynthio
Nunc convicia fundit,
Aeſtus impatiens gravis.
Sic, ſic prætereunt tempora, nec manet
Quicquam. ſic fugiens cuncta rapit dies,

Sic cælo placet. hæc sunt
Anni iura volubilis.
At quantum fuerat, quantum erat, obsecro
Largiri miseræ turbæ hominum Deos,
Solo Vere suavi
Vti posse perenniter?
Sic certè Elysiis vivitur in locis,
Vno perpetuo Vere ubi perfruens
Felix turba piorum,
Non soleis capiti graveis,
Non diræ segetem grandinis, & nivis,
Non horret boream, nec rabidos Notos,
Nec tristeis Aquilones:
Vno flante Favonio.

ODE III.

Ad Aegydium Buslydium, juniorem.

PArs, ô, meorum magna sodalium,
Quos vel dederunt tempora, vel dabunt,
Quando illa, illa dies erit,
Qua tecum, socia urbe,
Amice longos sæpe teram dies?
Cernamq; Musæ delicias tuæ?
Quæ dictat tibi tinnulo
Suâveis carmine voces?
Cernamq; quas vel Parrhasius tulit,
Scopasve, quarum dives es artium,

Solers aut hominem, aut Deum,
Sculpto ponere ſaxo?
Vitamq́ꝫ falſam rite coloribus
Præſtare mixtis? & facili manu
Tabellæ ſine corpore
Tenueis indere formas?
Sperare de te nam libet hæc mihi:
Et iam leonem iudicò ab unguibus.
I, quo te vocitat tua
Virtus, i pede fauſto:
Vecturus olim Buſlydium genus
Ad alta cœli ſidera nobile,
Quod ſublimia vertice
Iam nunc nubila tangit.
Nos interim, quando tua cernere
Sors ora coram non ſinit invida,
Nobis effigiem tui
Mitti ſæpè rogamus.
Transfuſa formis ut mihi pluribus,
Perſtet ſodalis mnemoſynon mei,
Et vel cernere ſic queam
Dilectum mihi vultum.
Non eſt quòd illa paululum imagine
Carere nolis, (quam manus inſolens
Fecit noſtra, rudem nimis)
Præſertim reditura:
At eſt quod illa nolit imagine
Carere Ianus, quæ ſibi melleum

Præsentabit amiculum,
Quocunque ille feratur.

ODE IV.

Ad Amicum

ANte Phœbeo cariturus igne est
Orbis, & Lunæ gelidos meatus
Nesciet, linquentq; tenebricosum
Sidera cœlum:
Cancer arctabit spatium diei,
Porriget longas Capricornus horas
Lucis, & noctis breviore metâ
Tempora ducet.
Puppis ignotas teret unca terras,
Plaustra volventur liquidas per undas,
Piscis in sylvis, aper in profundo
Pabula carpent:
Quam tui poßim posuisse curam,
Sive quod sum nunc, ero, sive Maneis
Inter, obscuris habitabo regnis
Pallida forma.

ODE VI.

Ad Hadrianum Goesium, ICtum uxorem ducturum.

ERgo, dulcis amicule
Nobis tam citò te subtrahis, & vagis

Finem ponis amoribus?
Et te, sponte tua brachia mollibus
Subdens libera vinculis,
Captivis hominum cœtibus inseris?
Sortem servitij gravem, &
Passurus dominæ sceptra puellulæ.
Visurus tamen interim
Natos, legitimæ præmia Cypridis,
Natos, certa levamina
Curarum, & socij pignora lectuli:
Quos qui tollere negligit,
Dans infrugiferis semina vepribus,
Ignavus moritur senex:
Indignusq́ue, cui contigerit parens.
Ergo, spernere si potes
Curas, mæstitias, vincula, carcerem,
Dum castus tibi sit torus,
Et gignas aliquid quod tibi succinat
Nomen dulce parentibus:
Aulâ quodq́ue tuâ lusitet, & patris
Observantibus atria
Monstret ora sui certa clientibus:
I, quò te impetus impotens,
I, quò magnus Hymen te vocat, & potens
Dextrâ teligerâ Puer.
At nos interea, quando relinquimur
Abs te, cum reliquis tamen,
Quos non ista tenent iura, sodalibus,

Donec canities abest,
Carpamus Veneris gaudia liberæ.

ODE VI.

Carolo V. Imp. in Belgicam reduci.

O, qui potenti, Carole, dexterâ,
(Quod Turca dudum barbarus invidet,
Magni quod invidêre reges)
Sceptra tenes potioris orbis,
Quis te Deorum, maxime Cæsarum,
His post tot annos reddidit vrbibus?
Cæloq; natali? sacrisq;,
Quæ puerum tenuêre cunis?
Iam iam sepultæ fletibus, & nigro
Luctu, serena est reddita patriæ
Vultu tuo lux, & videntur
Ire dies meliore sole.
Implumis ut cùm turba relinquitur,
Deserta nido, mater ubi est procul.
Escamq; natis fida quærit,
Longiùs & solito moratur:
Expectat usque, & usq; querens, querens,
Intenta servans lumina perpetim,
Circumiacenteis aut in agros,
Aut latera in spatiosa sylvæ:
Desideratum sic nimium diu,
Suum vocavit Belgica Cæsarem?
Hunc illa votis, hunc poposcit
Ture deos, precibusque sanctis.

Hic ille namque est, numine cuius, &
Pacata tuti per maris æquora
Nautæ feruntur, datq́ terris
Semina fertilibus colonus
Securus, & iam non timet, usibus
Ne seminârit militis impij:
Per quem per agros tutus it bos:
Picta pecus terit arva tutum.
Hic Cæsar ille est, qui regionibus
Exterminabit omne nefas suis:
Ac exuleis terrâ Sorores
Sideribus revocabit altis.

ODE VII.

Ad Nicolaum Buslydium.

THrax movit olim carmine tigrides,
Syluasque Vates traxit, & impetum
Pronæ reverti iussit undæ,
Vocis ad arbitrium canoræ.
Idemq́ regem, carmine lugubri,
Cui regna nullis cognita solibus
Cessêre, pallentesq́ turbæ,
Perculit in sua vota mitem.
Regina chordis victa potentibus,
Tepente lavit lumina gurgite:
Crudelium malæ sororum
Insolito maduêre fletu.

Consensit

onsensit unis Regia vocibus,
andi maritam præmia carminis
Vt, per vias nulli remensas,
Tristibus eripiat tenebris.
ed dona diris irrita legibus
allax tyrannus fecit, & (ô, nefas!)
Fatalibus respectam ocellis
Rettulit in loca fusca prædam.
unc ille longum, munere subdoli
rustratus Orci, per Tanai niveis,
Heu, perq; Riphæas pruinas,
Ingemuit gelidis sub antris.
At tu, nigrantis, si prece, Tartari
ro mollicellâ sollicites herâ
Illachrymabilem cohortem,
Mobilibus digitisque pulses
landas fides testudinis aureæ:
Non strictus ullis conditionibus,
Victor beatus, ad supernas
Cum Dominâ reveharis auras.

ODE VIII.

De amoribus Francisci Catzij.

FRancisci teneris digna caloribus,
Issabella, meæ proxima Iuliæ,
Quocunque orbe moraris,
Fido in pectore stas tamen:

E quo nec rapiet te rota temporum,
Nec diversa tuis tot loca mœnibus.
Heu, quantum tamen hinc est
Inter Lovanium soli?
Hærent luminibus lumina mollia,
Arguta, & tacitis subdola nutibus,
Hærent, atque revinctum
Quem cepere semel, tenent.
Hærent auriculis verba sonantia,
Quæ possunt Superos flectere, quæ Deum
Qui servat loca tetra,
Nulli pervia lumini:
Ad quæ cùm, tenuem efflatus in aëra
Francisci gelidus spiritus iverit,
Vnâ voce suavi
Dilectæ Dominæ suæ,
Quam terræ tumulis obrutus audiet,
Quam tota excipiet regia nigricans,
Vno murmure dulci
In vitam revocabitur.
O, felix facibus forma potentibus:
Fas florere meis te quoque versibus:
Dum fletus Puer ales
Et suspiria nesciet.

ODE IX.

Ad Petrum Bausanum.

QVisquis, serenâ mente, potest suos
Inter sodaleis vivere leniter,
Qui mente coniunguntur unâ,
Et studijs rapiuntur ijsdem,
Illum beatis respicit ignibus
Distincta cœli regia mobilis:
Et sortis expertem malignæ,
Collocat in medio deorum.
Non livor illum pallidus occupat,
Non cura firmum versat & huc & hac,
Nec sperat usque lætiorem,
Sidere sub meliore, vitam.
Seu vivat illic, quâ freta perpetim
Astricta canis stant Aquilonibus,
Seu quâ nigros, usti propinquo
Sole, trahunt populi colores.
Sic, Petre, Musas inter amabileis,
Interq́ iunctas brachia Gratias,
Risus, iocos, lusus, amores,
Exilium patriæ feramus.

ODE X.

Ad Amorem.

ERgóne, vitæ quod superest meæ,
Suspiriosis liber Amoribus

Degam?

Degam? nec in venis calebit
Ille meis Deus, ut ſolebat?
Iam, iam remiſsi pænitet otij,
Iam, iam proteruâ ſpicula dexterâ
In pectus hoc, inerme pectus,
Sparge, Puer, reſonante nervo.
Vivamque rixas inter & oſcula,
Interque riſus, & lachrymas graveis
Spemque, & metum, vitam, necemq́,
Tempora floridulæ iuventæ.

ODE XI.

In choreas ab ſe ſpectatas.

CVrru Diones vectus eburneo,
Vidi modò heic, iam neſcio quo loco,
Calente curſitare mixtas
Cum iuvenum ſerie puellas.
Vna inter omneis florida virgines
Terram tenello ſollicitans pede,
Verſabat in gyrum ſequaceis
Secum oculos, animosque turbæ.
Vt rubra puro lacte natans roſa,
Serpebat albas purpura per genas:
Frons crine flavo fulgurabat,
Fulvo ut ebur variatur auro.
Sic illa, membris læta volantibus,
Producta chari nunc iuvenis manu

Circum

Circum ibat, intactamque ſenſim
Nabat humum trepidante plantâ.
Nunc ſola, gratis libera nexibus,
Errabat, huc vibrans oculos, & huc;
Luſuque mobilis proterv o
Huncq; petebat, & hunc, & illum.
Beata, dixi, terra: vel hos pedes
Tu bruta ſenti, vel mihi fac locum:
Seque illa per pectusque noſtrum,
Per faciemque; oculosq; volvat.

ODE XII.

Ad Deum optimum maximum, quum tumultuarentur Anabaptiſtæ.

Conditor terræ, undivagique ponti,
Aetherisque alti, tibi magnus æther
Concinit laudes, tibi vaſta tellus,
Et maris undæ.
Quippe cùm, verno redeunte ſole,
Induit frondeis nemus, & Favonî
Suſcitat flores genitalis aura
Suaveolenteis,
Cuncta te immenſum Dominum fatentur,
Sive, frondoſis aqua ſepta ripis,
Limpidi fontis referat figuram,
Sive lapillis
Pugnet inſultans tenui ſuſurro,

Sive per ſylvas Zephyrus ſonoras
Concitat frondeis, volucresúe cantu
Aethera mulcent:
Sive oves centum, & totidem capellæ
Roſcidam paſcant niveæ per herbam,
Frigerans quâ fons ſcatet, & propinquos
Irrigat hortos.
Quid maris dicam varios receſſus?
Et quid acceſſus? pelagique monſtra?
Quid globum Lunæ varium? aureique
Lumina Phœbi?
Totque diverſorum animantium ora?
Totque diverſas hominum figuras?
Tot ſalutareis frutices, & herbas?
Totque nocenteis?
Arborum & fœtus varios colore?
Nec minùs dulci varios ſapore?
Quæque in aprico trahit uva ſuavem
Colle ruborem?
Vnde iucundus liquor ille Bacchi
Manat, afflictis animis levamen,
Vinciens ægrorum hominum ſuävi
Pectora vinclo?
Te Deum, cunctorum operum parentem,
Cuncta conſenſu tacito ſalutant,
Magne Sol, pulchriq; Anima alma mundi,
Te veneratur
Arctos, æternâ glacie ſtupeſcens,

Imbri-

Imbribusq́, & fulmine fœtus Auster:
Quæq́ surgentem videt ora solem,
Quæq́ cadentem.
Huc ades, Rex, ô, hominum, & Deorum,
Si tuas sanctè celebramus aras,
Et tibi gratos, humili camœnâ,
Dicimus hymnos.
Bellaq́, & sectas hominum nefandas,
Et mali quicquid vitijs meremur,
Pelle de nostris laribus, focisq́:
Præcipuè illos
Qui, novæ sub relligionis umbrâ,
Cæde grassantur, populantur vrbeis,
Et tuæ genti excidium minantur,
Dira frementes.
Frange conatus populi furentis,
Publicorum ausus cohibe latronum:
Et tuam nobis placidam, misertus,
Redde quietem.

Finis Odarum.

IOANNIS SECVNDI EPISTOLARVM

Liber primus.

Ad Everardum Nicolaïum, fratrem.

Epistola I.

Ite salutatum, sine me, mea carmina fratrem,
Cur mihi nunc versus non datur esse meos?
Ite leves elegi, nec vos ivisse pigebit.
Ite citi. doctam iam dabit ille manum.
Moxque resignatos placidâ vos audiet aure
Narranteis animi nuncia certa mei.
Hæc igitur nostro referetis nomine fratri,
O, ego quàm vobis demptum onus hoc cupiam?
Me retinet salsis infausta Valachria terris,
Oceanus tumidis quam vagus ambit aquis.
Nulla ubi vox aviũ, pelagi strepit undiq; murmur,
Cælum etiam largâ desuper urget aquâ.
Flat Boreas, dubiusq; Notus, flat frigidus Eurus:
Felices Zephyri nil ubi iuris habent.
Proque tuis vbi carminibus, philomela canora,
Turpis in obscœnâ rana coaxat aquâ.
Si quæret quid agam, (nãque hoc quæret, scio,) quòd (non
Sum simul hoc doleo, cætera lætus ago.

Quòd-

Quòdq; magis placeat, pater illi ſalvus, & omnis
Turba valet, morbos nec timet illa graveis,
Mitior & nobis hæc terra futura videtur,
Nempe ſemel noſtris exſaturata malis.
Quòd reliquum, Icarias dices meditarier alas,
Quîs poſsim liquidas ritè ſecare vias,
t. ſubitò optatas novus ales cernere ſedeis,
Oraque germani cernere chara mei.
alia nunc meditor, modò quis mihi Dædalus adſit
Qui pennas humeris applicet arte meis.
on ego ventoſis peterem ſublimia plumis,
Vectus ad igniferi fervida regna Dei:
ec Zelandiaco facerem nova nomina ponto,
Sed ſequerer monitus Dædale magne tuos,
uod ſi non dabitur, naturaque dura repugnans
Non patitur vetitas nos penetrare vias?
ttamen haud longo poſt illum tempore cernam,
Advectus celeri per freta vaſta rate.

Ad Eundem.

EPISTOLA II.

MVſa ades huc, Friſias procul hinc, procul ibis ad vrbeis,
Per ſylvas, vrbeis, per mare, per fluvios,
ec te longinquas pigeat volitare per oras,
Eſt vbi barbarico proxima terra ſolo,
erra procul gelido ſeptem ſubiecta trioni,
Terra procelloſis frigida quaſſa vadis:

Nec refugi mores faciant aut grandia verba,
  Quò minus inceptâ progrediare viâ:
Certa sacros vates terris habitare profanis,
  Numina Musarum qui veneranda colant.
Certa tuas illuc quoque commigrasse Sorores,
  Deserta vitreâ pridem Heliconis aquâ,
Ex quo, Germanos vates celeberrimus inter,
  Rudolphus Frisii lausq; decusq; soli,
Dulcia contentis modulatus carmina nervis,
  Traxit Apollineas in sua vota Deas.
Cui modò successit terrâ nutritus eadem
  Hermanus studij factus ad omne genus
Hompius, Ausonijs rediens qui nuper ab oris,
  Doctas Romanæ rettulit Vrbis opes.
Non minor hîc vestræ fuerit mox gloria turbæ,
  Gloria erit patrio nec minor ille solo.
Quid petis ulterius? cuius modò limina vises,
  Aonias adamat frater & ipse Deas:
Et poterat viridi sacra cingere tempora lauro,
  Natus ad Orpheæ garrula fila lyræ:
Maluit at tetricæ studijs vigilare Minervæ,
  Et colere Astreæ numina cælipetæ,
Et iactare foro strepitantia verba diserto,
  Nunc etiam populo reddere iura truci.
Nec tamen ergo minus Musas veneratur, amatque.
  Hæ requies fessi pectoris una manent:
His sese oblectat cùm magna negotia liquit,
  Atque à dicundo iure subinde vacat.

Ergo,

go, age,carpe viam, donec Leovardia cernes
Cominùs informi mœnia structa modo.
: cursus,hîc meta tui est, hanc incolit vrbem
Pars animi maior, pars meliorq́; mei,
rmanus, nullis animo delebilis annis,
Sive ego quod nunc sum, sive ego pulvis ero.
ius ad optatas postquam perveneris ædeis ,
Ostendes Iani nomina nota sui.
uæ simul ac cernet, dilecti symbola fratris,
Ibit in amplexus protinus ille tuos,
ox quid agã,quid mater agat,genitorq́; rogabit,
Quid fratres, quid agat denique tota domus.
vere quos salvos dices, eademq́; precari
Aeternùm domui, vel meliora suæ.
ox vbi cognôris valeat quid & ipse, quid uxor,
Quid dulces nati turba minuta gerant,
nte precata viro, qui nunc novus annus inivit
Illi vt felici sidere totus eat,
nginquum revocabis iter, quâq́; iveris , illâc
At nos seu terrâ, seu remeabis aquâ.

Ad Eundem.

EPISTOLA III.

Alveto quantũque cupis , quantumque mereris,
Et domui veniant omnia læta tuæ
ccepisse reor (nam iam tibi misimus olim)
Sculpta per insuetas plumbea dona manus ,

Quæ referunt patrios parvâ ſub imagine vultus,
Cernere quos vobis dulce, putamus, erit.
Scilicet, eſt aliquid vel ſic dilecta tueri,
Invida quæ nobis ſors rapit ora procul:
Sic ego te cupiam, ſic coniugis ora videre
Quantula de vobis pars tamen illa foret!
Sed meliora feret voluendum tempus, & hora,
Quâ dabitur toto mox mihi fratre frui:
Quæ notas audire dabit, quæ reddere voces.
Interea celers currite Solis equi.
Tunc mihi narrabis (dulce eſt meminiſſe malorū)
Triſtia penè oculis Tartara viſa tuis,
Rimoſamque ratem, Nautam, Maneisque vetuſtos,
Tantalon, & vivax cui iecur ales edit,
Et qui volvit adhuc ſemper revolubile pondus,
Et quibus æternis colla premuntur aquis,
Tunc, cùm ſudoris ignoti triſte venenum
Vrgeret vapido bis tua membra toro,
Furvaque cœpiſſet, Stygio ſacra dona marito,
Fatalem crinem vellere Perſephone,
Multaque præterea, quæ differo tempus in illud,
Advehat alatis quod citò Phœbus equis.

Ad Eundem.

EPISTOLA IV.

ECce manū chartæ calamūq; admovimus udum,
Fratri aliquid nos vis ſcribere Muſa? iube

Musa iube, cessas? titubas? hæresque? quid istuc?
Usque adeo nihil est, quod legat ille, tibi?
Nos igitur chartis calamum removemus? & iste
Ibit in hoc scriptis non oneratus iter?
Non ita, sed potius chartam sic tradat inanem
Nuncius: hoc fratri non leve munus erit.
Triste nihil domui sciet accessisse paternæ,
Meq; satis memorem sentiet esse sui.
Artis huic aliquid nostræ si iungimus, & quod
Carmen in Augustum condidimus tumulum:
Nil petet ulteriùs; licet anno ineunte recenti
Larga dari soleant munera, larga capi.

Ad Issaabellam sororem, Virginem sacram.

EPISTOLA V.

SAlve, ô, fœminei, soror, unica gloria sexus,
Inferior nullis Issaabella viris
Gaudia quanta mihi, quantum iniecêre stuporem,
Depicta articulis verba Latina tuis? (venusta?
Quàm pia? quam lepida? & quam mellea? quamq;
Quàm docta! & cunctis illa polita modis!
O, quoties lecta illa mihi, quotiesq; relecta,
Nec satiare oculos, nec potuêre animum!
Macte animo, similem nullam cui nostra tulerunt,
Fortè dabant olim sæcula prisca pareis.
Credo, æquare suum poterat quæ carmine patrem,
Inclyta Nasonis filia talis erat.

Tullia talis erat, docto dilecta parenti:
Talis erat Gracchos quæ tulit illa duos.
Sperare hac qualem licuisset ab arbore fructum,
Nî tam non aptâ consita staret humo!

Ad Carolum Sucquetum.

EPISTOLA VI.

CArole, quo nullos duce & auspice ferre laboreis,
Nec renuam duræ mortis inire vias,
Alpinas qui cum libeat contemnere valleis,
Quas nivis æternæ cana tegunt maria.
Cum quo vicino peragrem loca torrida Sole,
Quæque rigent longo non habitata gelu,
Quà deserta manent nullis freta nota carinis,
Terraque non ullo vomere secta iacet.
Provida ni timidi remorentur verba parentis,
Spernere quæ pietas officiosa, vetat,
Falciferique senis grave rebus in omnibus astrum,
Et deus & series omnis iniqua poli.
Tunc igitur Latio felix versaberis orbe,
Inter honoratos artificesque viros?
Nos in Barbariâ virideis socorditer annos
Perdere cogemur? non ita Fata velint!
Quæ satiata reor, quod te fraudamur eunte,
Deponent odium, nec mora longa manet.
Ante dies multos vestigia chara sequemur,
Tempora fortunæ cùm melioris erunt.

Interea

Interea vivas, quâ vivere ſorte mereris,
O, animo ſemper ſedem habiture meo,
Agmina ſeu iubar hoc inter viventia cernam,
Regna deæ Siculæ ſeu tenebroſa colam.

Ad Ioannem Dantiſcum, Præſulem Culmenſem, eundemque Poëtam.

EPISTOLA VII.

LAus Vatum, laus magna virûm quos infula veſtit,
Ore melos Getico qui Latiale ſonas:
In quem curarum bona pars ſecura recumbit
Regis, Sarmatidum cui famulatur humus.
Hoſpite quo Scaldis ſeſe miratur, & Iſtri
Gurgitibus tumidis iam putat ire parem.
Hoc ne meas arteis etiam, Dantiſce, manebat,
Vt traducendæ te quoque teſte forent?
Hei mihi, quid ſperas à cælatore poëta,
Et cui vix primo tempora Vere tepent?
Iſtam aciem paſcat ſi quid reſtabit ab ævo
Phydiacæ quondam quo viguêre manus.
Cùm Venus ipſa, ſuæ decus admirata figuræ,
Dixit, Praxiteli viſa vbi nuda fui?
Cùm poterant duri lapides molleſcere ferro,
Vuaq; certanteis picta vocabat aveis,
Suſpenſosq; animos, ſperatâ voce, tenebat
Dædalus in tabulâ verſicolore liquor.

Ausus ego tentare novas temerarius arteis,
Vix infausta rego cæla negante manu.
Felix plebeios si tantùm sculpere vultus
Dextera & ulteriùs non foret ausa vehi:
Obscuris cùm nominibus neglecta iaceret,
Non hominum varijs subdita iudicijs,
Cùm domini pallore sui, male nobilis esset.
Sed quid ego hæc autem? sera querela mea est.
E manibus nostris dudum vaga currit imago,
Quæ pia Cæsarei numinis ora tenet.
Nec satis est illud, cupit hanc Dantiscus habere,
Ille cui quicquam sit renuisse nefas.
Accipe, magne pater: tua iussa capessere fas est,
Tecum age, si lædet lumina forma rudis.
Mittimus in multas transfusum Cæsara formas,
Sic te velle, mihi dixerat ille tuus
Lædeus vates, Iuvenis dignissimus: in quem
Pars tibi diffusi multa favoris eat:
Qui sic ore modos, & acutâ temperat aure,
Vt cygnum meliùs non potuisse rear
Illum, Lædeis olim qui fusus in ulnis,
Velavit niveo corpore furta Iovis.
Mittimus & quædam, quæ te fortasse iuvabunt;
Inter quæ Dominæ sit quoque forma meæ;
Dilectæ Dominæ, Venerem cui cedere Mavors
Noluit: hinc cæli non benè rexit iter.
Hic quoque flammivomis oculis formosa latebit
Vatis amatoris Iulia sculpta manu:

Iulia,

Iulia, quæ nostris vivat celebrata Camœnis,
Donec Amor gemitus nesciet, & lachrymas.

Ad Ansovinum Medicem, Perusinum, Iurisconsultum.

EPISTOLA VIII.

VNde leves veniant tua sub sacraria Musæ,
Ara vbi librantis stat veneranda Deæ,
Quisve verecundas, quæris, petulantiùs ire
Iusserit? herboso à rure tulêre pedem.
Mittit Ioannes, quem si te nosse negabis,
Ignotum scit te non tamen esse sibi,
Tempore iam ex illo, cùm te mirata docentem,
Hæsit in aspectu concio magna tuo:
Adq; tuas voces vocem tenuêre tot ora,
Nulla nisi laudes quòd tacüêre tuas.
Sed tibi certatim tacito applausêre susurro,
Pars vbi tum turbæ parva stupentis eram:
Et tua, dicebam, veniant ad pulpita longè
Gallica quos, & quos terra Latina docet.
Legibus, Ansovine, potens & divite linguâ,
Vnus in Alciati sede decenter ades.
Tu desiderium tanti lenire magistri
Visq; , potesq; simul: sed quoque Fata velint.
Fata recusarunt votis accedere nostris,
Atra lues serpit per fora, perque vias.

Itur

Itur in exilium, ſtant auditoria clauſa,
Mutaque non poſſunt vel ſua damna queri.
Hæc inter, nobis ſpes fulſerat optima nuper,
Tecum communi vivere poſſe casâ.
O, niveam quæ tot vexiſſet commoda lucem,
Felicem qui te, ſeu tenuiſſet ager,
Sive niger lucus, iam tum ſacer ille futurus,
Fons tibi ſeu vitreis ora rigaſſet aquis;
Murmure te tremulo rivi, te flatibus aura,
Teque per innumeras ſylva vocabat aveis,
Aequabat properè diſtinctos uva coloreis,
Viſa vocare tuas ad ſua dona manus.
Aſt alio te Fata vocant: patriæque ſuävis
Ardor, & Auſonidûm te remoratur humus:
Quæ tibi victriceis nutrit lætiſsima lauros,
Implicitura tuæ debita ſerta comæ.
Nos quoque quò fortuna vocet dubitamus, & hoſce
Fortè brevi dulceis deſtituemus agros.
Atque vtinam ceſſent diræ contagia peſtis,
Linquat & Alciati febris iniqua caput:
Atque iterum reſonet ſolitis Academia linguis,
Non iſto potior terra ſit ulla ſolo.

Ad Viglium Zuichemum, Friſium, Iuriſconſultum.

EPISTOLA IX.

B*Itturigum muris infectis tabe rapaci,*
Quâ dulceis animas tot poſuêre viri,

Totâq;

Totque genas, rosea & pallentes ora puellæ
Lurida transnarunt stagna nigrantis aquæ,
Exul ab vrbe diu Menetovica rura tenebam,
Exilij socius (quàm benè?) frater erat:
Cum quo communi partibar fata dolore,
Plus solito tristi pectore multa movens.
Qualia perpetimur, patriæ qui dulcibus arvis
Hospita prætulimus tecta, viasq; sequi.
Tristia multa meo sub pectore condensabam,
Inq; meas cladeis ingeniosus eram.
Languida confecti patris occurrebat imago,
Qui, tunc cùm miserum liquimus, æger erat.
Matris inexpletæ mentem subiêre querelæ,
Seu moriente viro, sive trahente necem.
Omnia funesti præbebant omina casus:
Mens est vicini saga subinde mali.
Fluctibus æquoreis agitatis flamine nullo,
Navita versandas turbine novit aquas.
Nos quoque perculsi mæstam sine vulnere mentem,
Heu, veniunt nostræ flabra maligna rati,
Diximus, & longas querela in suspiria nocteis
Traximus, & nigros per loca sola dies.
Has inter curas tua, mellitissime Vigli,
Candida felici litera venit ave,
Aspexi, & subitò sensi per membra calorem,
Et rubor in toto plurimus ore fuit.
Nec dum certus eram, cuius foret illa sodalis,
Pectoris hanc chari sed fore certus eram.

Prodi-

Prodidit at Dea te, quæ te iam prodidit orbi,
 Virgineam rutilâ caßide pressa comam.
Felix quæ signat quos dictat & ipsa libellos,
 Et micat in digito gemmea forma tuo.
Hanc vbi conspexi, certè hic est Viglius, inquam,
 Et tanti veteris cura sodalis erats
Vt sibi de charis tantum decerperet horis,
 Huius longinquis quod daret alloquijs?
Protinus abrumpens chartæ retinacula, vidi
 Nomen, honoratum quod mihi semper erit.
Pectore dein avido dulcißima verba voravi,
 Quæ mihi lætitiæ caussa perennis erunt.
Quorum tunc nobis sensum patiemur abesse,
 Corpore ab hoc animam cùm patiemur agi.
Illa semel magnos mihi discussere doloreis:
 Illa legam, quoties non benè lætus ero.
Namq;, velut densâ quibus est iter arbore clusum,
 Ducit vbi incertos semita falsa pedeis,
Inque vias varias vestigia circumflectit,
 Semper & exponit deteriore loco,
Visa per angustam rimam, seu visa videri
 Plana graveis animos arva repentè levant:
Talis in his tenebris tua venit epistola nostris,
 Nigraque suffudit lumina luce novâ,
Candidior nocteis primùm treis Sole secuto,
 Alcmenæ è thalamis astra petente Deo.
His ego delicijs seu pondera divitis auri,
 Purpurei spolium seu maris anteferam?

Quasque

Quasq́ue tulit flavas toties Campania messeis?
Quæque tulit toties vina Falernus ager?
Non ego sum talis, nec sic alienor ab illis
Tinnula quæ liquido vertice plectra movent.
Nec, mihi quæ tribuunt quæ non agnoscere possum,
Illa mihi pretij verba minoris erunt.
Dicta mihi credam, fuero quùm dignior illis,
Interea affectus sint mihi signa tui.
Ne tamen ignores quem te dignaris amico,
Deceptum ne te fortè queraris, habe.
Non est qui Fabios, Gracchos, Syllasve loquatur,
Sitque peregrinâ civis in Armeniâ,
Et quotus à primo Crœsus spoliaverit orbem
Noverit, & quanto sole calescat Arabs,
Aut qui multa fori variantis iura notarit,
Aut qui Pegaseâ labra ligarit aquâ,
Non tecum ingenio, tecum contendet amore,
Legibus his dextram dat tibi, datq́ue fidem,
Quam non ulla suâ rumpent vertigine secla,
Nullaq́ue divellent inter utrumque loca.
Annuis, & talem non aspernaris amicum,
Annuit intonsâ Phœbus & ipse comâ,
Et dixit, rata sint hæc fœdera dum mihi duris
Barba genis, nullus fronte capillus erit.
O, igitur, nullos animo delende per annos,
An tecum fandi tam citò finis erit?
Nec tibi fortunæ patefient omnia nostræ,
Sive levet, pressâ seu gravet illa manu?

Scribere.

Scribere consuevimus quo delectentur amici,
Primus eris gemitu qui feriare meo,
Dignus nullorum qui spectes ora dolentum,
Cunctaq; cum risu tempora lucis agas.
Non tua damna leges, at maxima damna tuorum,
Quæ tibi sunt proprijs non leviora malis.
Deseruit nostras spes, & migravit in altum,
Hei mihi, tarda negat dicere lingua, pater.
Nec nobis licuit quæ munera debebamus
Reddere, supremâ, non iteranda, die.
Iam iam claudendis mandata excerpere labris,
Et cilia extinctis obdere luminibus,
Et deploratum tumulo componere corpus
Molliter, & violis spargere triste solum,
Longævasq; notas memori mandare sepulchro,
Quas videat properans, & remoretur iter
Hospes, & humenteis ægrè compescat ocellos,
Et dicat, cinis hic nobile pectus erat.
Hoc fuit, hoc igitur, quod tot monuêre dolores,
Visaq; germano somnia, visa mihi.
In quibus, hac ipsâ nobis oblatus in vrbe,
Visus erat senium iam posuisse suum,
Et florere novo nimiùm iuveniliter ævo.
Floret, at, heu, nostris aruit ille bonis.
Floreat, & virideis annos in valle resumat,
Myrtea quà longo vere tepescit humus.
Nos humiles animæ externo repemus in orbe,
Damnati lachrymis, cladibus, exilio:
Felices

Felices solis, si quos numeramus, amicis,
Qui stabiles verè sint, similesque tui.
Hæc ego non potui, quamvis lachrymosa, tacere:
Forsitan huc tristes me rapuêre modi,
Nataq; flebilibus tantùm miseranda querelis
Passibus imparibus quæ Dea frangit iter.
Scilicet hoc vultu cùm nos Elegeïa vidit,
Credidit ad luctus se tumulosq; rapi:
Nec mora, compositos dissolvit mæsta capillos;
Nec mora, cupressum movit utraque manu,
Funereasq; faceis circum mea pulpita vidi:
Quid facerem? potui nil, nisi quale vides.

Ad Ioachimum Politam, Medicum & Poëtam.

EPISTOLA X.

NVnquid vbi manibus sese tua litera nostris
Obtulit, & cupidis auribus hausta fuit,
Tunc subiisse meum plenissima gaudia pectus
Credis, & immemorem penè fuisse mei?
Qualem animum vidi? vel qualia carmina legi?
Carmina Apollineis emodulata sonis.
A quibus & titulos & nomina deme locorum,
Naso suâ dicet hæc perarata manu.
Hæc quoque blanda videns operosi Musa PropertI,
Iniiciet dominas in tua scripta manus.

Sed quid ego venerer divini carminis artem?
Maius ibi quiddam, quo caperemur, erat:
Illic exemplar ſinceri lucet amoris,
Qualis Saturni tempore rarus erat;
Qualis erat iuvenis Phocæi, qualis Oreſtis,
Hic cùm pro ſocio vellet, & ille, mori.
Hunc ego non redamē, non hunc cōplectar amicū?
Altera pars animæ non erit iſte meæ?
Invida ſed rebusq́ hominum contraria Fata!
Cur non unanimeis vrbs tenet una duos?
Non ullum nobis ſimulachrum maius haberet
Illæſæ fidei vivida poſteritas,
Non tibi me fruſtra tua ſomnia ſæpè reducunt,
Et tibi rara mei non memor hora venit,
Ignibus æthereis hæc eſt vis inſita quondam,
Abſenteis tacito ſidere multa monent.
Anne putas vacuum ſine te mihi tempus abire?
Semper in obtutu ſtas, Ioachime, meo.
Stant tecum dulces, quorū es pars magna, ſodales,
Mens quibus à nobis non aliena fuit.
Si toties aliquid de me tibi ſomnia narrant,
Noſtra tui quoties pectora tangit amor,
Morpheus haud alio vultu te viſat oportet
Quàm noſtro, aut ſimilis ſi qua figura meæ eſt,
Si tibi transfundunt affectus Numina noſtros,
Sæpe fatigamus ſidera, ſæpe Deos,
Teq́ fatigamus, cui forſan dulcius eſſet
Conterere in curâ commodiore diem.

Iam potes e noſtris feſſus quoque verſibus eſſe,
Et brevius cuperes me, meliusq; loqui.
Forſitan & chartam volvendo ſæpe tuêris,
Quod ſis emenſus, quod tibi reſtet, iter,
Perfer, & obdura, tu carmina noſtra petebas?
Scilicet, illa putans plena ſale, & Venere:
Ergo alacri vultu lege, nec mala dixeris eſſe,
Illa ſed auriculis finge placere tuis,
Vtque potes, lauda, gemino ne angare dolore,
Verſiculisq; meis, iudicioq; tuo.
Quòd ſi digna tuis ferrem tibi præmia votis,
Et niſi quàm tibi tu, mitior ipſe forem,
Dÿ magni, quantum horribilem ſacrumq; libellum
Carminis acciperes quanta venena mei?
Sed te, correctum leviter, dimittere certum eſt,
Vt minimo diſcas cautior eſſe malo.
Aſſcribam tantum, quod (opinor) ſcire laboras,
Quæ via ſit vitæ nunc ineunda mihi.
Me mea ad Herculeas invitant Fata columnas,
Languida quâ Phœbi plauſtra cadentis eunt,
Inde alias forte, atque alias peragrabimus oras,
Hoc eſt humanæ conditionis opus.
Et certe iuvat hoc, vt cùm me Fata repoſcent,
Cedere perſpecto lenius orbe queam.
Multos longinquo fortuna beavit in orbe,
In quorum numero me quoque forſan habet,
Multos crudeli fato ſine honore iacenteis
Dira peregrinâ vix bene texit humo

Quis scit an illorũ numero quoque forsitan addat,
Nec sinat in patriâ me regione mori?
Vt mea transcurrat contemnens ossa Viator,
Ignotumq́; oculo nomen eunte legat,
Et dicat, patriâ quis te mutare relictâ
Ferventeis alio sole coëgit agros?
Antè foreis Dominæ meliùs tumulasset inertem
Pars superiniecti non onerosa soli.

Ad Sibrandum Occonem.

EPISTOLA XI.

QVem sibi de multis iunxisse sodalibus unum
Antiquâ voluit perpetuaq́; fide,
Hanc tibi tam longè mittit, Sibrande, salutem
Ianus; & inquirit sedulus, ecquid agas?
Num valeas, sortisq́; tuæ sine nube sinistrâ,
Hæc tibi florentis tempora veris eant?
Nam sine me (memini) mihi te narrare solebas
Ducturum mæstos & sine sole dies,
Qui nunc in vanâ me sollicitudine rides,
Et memor in lætis vix potes esse mei.
Inq́; sinu dominæ lentâ cervice recumbis,
Oreq́; de roseo mellea dicta legis:
Qualia deposuit amoto verba marito
Pastoris Phrygÿ Tyndaris in gremium.
Aut tentas varias, Dominâ ridente, choreas,
Aut studÿs alacer dulcibus invigilans,

Colligis

Colligis à magno legum decreta magistro,
 Vnde tibi vitæ fama sequentis eat.
Interea nostri tantùm à te cura recessit,
 Quantùm de Ligeris flumine Scaldis abest.
Hoc ego vaticinor: sed si mihi diceret illud
 Cynthius, oraclo non foret ulla fides.
Non ego Dodonæ dicenti talia credam,
 Tu quoque si iures per sacra perq́ Deos,
Et probus & verax longo mihi cognitus usu,
 Scilicet hoc uno nomine vanus eris.
Te mihi iunxerunt nivei, sine crimine, mores,
 Simplicitasque sagax, ingenuusq́ pudor,
Et bene nota fides, & candor frontis honestæ,
 Et studia, a studijs non aliena meis.
Addidit his tacitos nutus, motusq́ benignos,
 Et nodo vinctum duxit utrumque pari
Natura omnipotens, & si quod numen amicis
 Præsidet, & sanctas iungit amicitias
Artibus occultis, Puerîq́ volatilis instar,
 Tela gerit pharetrâ forsan acuta gravi.
Credo equidē, venis hominū quoque spicula mergit,
 Ventilat accensas & Deus ille faceis.
At non ventosis huc illuc fertur ab alis,
 Explorat dubio nec pede cæcus iter.
Providus arcanâ tangit præcordia flammâ,
 Concordis vitæ quam tenor unus alit.
Quâ sine fraterni languescit nodus amoris,
 Nec benè natorum cum patre constat amor.

Quod nisi me fallo, quisquis fuit ille Deorum,
Coniunxit nostras complicuitq́ manus,
Cùm primum patrio provectus ab orbe subisses
Docta vetustorum mœnia Bitturigum.
Tunc ego te vidi, tunc tecum pauca locuto
Spes inconcussæ venit amicitiæ:
Tu quoque visus eras votis accedere nostris,
Et sensu tacito iam benè velle mihi,
Forsitan haud aliis pepigerunt fœdera sacris,
Ad quorum stupuit Cerberus ipse fidem:
Cum, vivus vivum Theseus comitatus amicum,
Tranavit Stygias, & remeavit, aquas.
Tempore livescit sublimi vitis in ulmo,
Tempore florenteis spica colorat agros,
Tempore distincto signantur poma rubore,
Flumina temporibus, tempore crescit amor,
Hei cur non nostri (quid enim iucundius esset)
Tempora convictus plura dedêre Dei?
Exemplum canis essemus uterque capillis
Rarum servatæ semper amicitiæ.
Nunc via, nunc montes, & cũ tot flumina sylvis
Mœnia divisos & numerosa tenent.
Dividat & tellus, & corpora dividat æquor,
At præsens animus hic tibi semper erit.
Ille vel immensi peragraverit invia ponti,
Et loca quæ nullo sunt pede tacta prius.
Ille per obstanteis muros, obstantia claustra,
Ingreditur longum clam taciturnus iter,
Bitturi-

Bitturigumq́; procul mediam delatus in vrbem:
Sibrandum subitò sistitur ante suum:
Et tecum solitis fallit sermonibus horam.
Evocat in nostros te quoque sæpè lareis,
Ac laribus vestris post tempora pauca reponit,
Et tecum longas itq́; reditque vias.
Qualiter in somnis variјs simulachra figuris
Invisunt nostros & recreant animos.
Est sua præteritis in rebus sæpè voluptas,
Tota nec aufugiunt quæ placuêre semel.
Arva, semel pinguis quæ fluminis unda rigavit,
Dona diu retinent aufugientis aquæ.
Nos quoque, qui nuper tot chara reliquimus istic,
Temporis exacti sensus & umbra iuvat.
Ante meos oculos semper tua currit imago,
Vmbra levis corpus currit vt ante suum.
Aureus a tergo fudit cum lumina Titan.
Fallor? an & nostri vos quoque cura subit?
Et longè positi vultum revocatis amici?
Et tibi rara mei non memor hora venit?
Sive aliquid de me clausum sub pectore servas,
Omnia nobiscum seu via longa tulit:
Vive, & amicitias simileis tibi collige nostræ,
Quæ minuant vitæ tædia longa tuæ.
Scilicet, hoc miseris Deus unum dulce reliquit,
Solamen cunctis & dedit esse malis,
Semper habere aliquem cum quo coniungere possis
Sive tuos lusus, seria sive tua.

Hoc cuicunq; datum eſt, nunquã ſua fata gemẽdo,
Invidiam toti moverit ille polo.
Sed benè decurſæ gaviſus tramite lucis,
Laudabit grato carmine ſæpè Iovem,
Qui dederit vitæ primum cognoſcere fructum,
Quo ſine, me certè, gaudia nulla iuvant:
Non menſæ licet ipſe ſuæ me Iupiter addens.
Det Ganymedæâ pocula mixta manu.
Nunc quoniam inprimis ſcio te cognoſcere velle,
Et quid agam, & quorſum me mea Fata vocẽt,
Imus ad Occidui longinqua cubilia Solis,
Quâ niger auriferas potat Iberus aquas.
Dÿ mihi iucundos illic reperire ſodaleis
Dent, mihi conſimileis, nec ſibi diſſimileis,
Sed ſimileiſque tibi, ſimileiſque ſodalibus illis,
Quos mihi præcipuos Celtica ſervat humus.
Tunc mihi nec longæque viæ longique labores,
Nec gravis infeſto ſidere Phœbus erit.
At tibi tranquillos annos fortuna paravit,
Et dotata domi gaudia ſervat Hymen.
Ante tuos vives lætus conviva penateis,
Quicquid eris, memorem te iuvet eſſe mei.
Et ſeu læta tuis venient, ſeu triſtia fatis,
Dicere, quàm longè nunc mihi Ianus abeſt?
Participem noſtri ſeſe daret ille doloris,
Divideret mecum gaudia ſorte pari.

Ad Pe-

Ad Petrum Clericum: cùm illi Poëmation de Reginâ Pecunia ex Hispaniâ mitteret.

EPISTOLA XII.

MVsæ sidereo soboles iucunda parenti,
Afflictis requies unica pectoribus,
Roscida quæ liquidis perstringitis antra susurris,
Fida meas semper turba secuta vias,
Vsque fatigati devexa cubilia Phœbi,
Quæ Tagus irrorat divite flavus aquâ.
Mecum quæ toties sterili recubastis arenâ,
In desertorum montibus Arragonum,
Non ad aquæ curvo serpenteis tramite rivos,
Mollis vbi in patulos sternitur herba toros,
Et tremulâ rami prætexunt desuper umbrâ
Regna natatricum vitrea Naïadum;
Sed quâ sicca gravi tellus exhausta calore,
Assiduè duros vertitur in lapideis.
Ecquæ de vobis aliò discedere gestit?
Arvaque ferre sacros per meliora pedeis?
Ad fortunatam Belgarum mitteris vrbem,
Quâ nil splendidius spectat uterque polus.
Huc ades, & cinctæ cursus imitata Dianæ,
In nodum fusas coge Thalia comas.
Aëriisque viis pernici labere pennâ,
Et pete Maclinicæ mœnia clara meæ,

Deq́ tibi notis compella Vatibus illum,
Qui niveum fuscâ sub cute pectus habet:
Pectus candidula pellucidius crystallo,
Dignus fortunâ candidiore frui.
Notior hoc non est, sed nec tibi gratior ullus:
Insistis longæ nunc, scio, prona viæ.
Impatiensq́ moræ vix iam mandata requiris,
Quæ tecum nostro nomine pauca feras,
Vivere me dices; nam quo vivamus in orbe,
Perdidicit propriis callidus ille malis;
Sæpè mihi fastum gentis narrare protervæ
Suetus, & exilii tædia multa sui.
Cuncta tamen nobis fratris præsentia chari
Lenit, & unanimi fœdere sancta fides,
Ludimus, & lento perfundimus aspera risu:
Inq́ casâ, regum marmora despicimus.
Nec de mille malis quicquam me duriùs angit,
Quàm quòd abest oculis tam procul ille meis,
Cuius ego lusus, & cuius seria novi,
Qui novit lusus, seria quique mea:
Carmine qui nomen celebris retinebit in illo
Quo cantata meæ lumina sunt Dominæ.
Hoc mihi purpureis dictatum blanda labellis
Cypria per populos & freta longa feret.
Fallor? an hinc famæ surgunt primordia nostræ?
Parsque meæ laudis magna feretur Amor?
Omnia principiis insunt: Amaryllide lusâ
Martia personuit Tityrus arma virûm.

Illa igitur magnis Aeneæ clara sub armis
Vivit, Reginâ nec minor est Tyriâ.
Nos quoq; maius opus, sed non tā grande, canemus:
Dulcis vt in tenebras corruat ille labor.
Iuncta sed in parva vivent tria nomina chartâ,
Quæ legat ignotâ cuspide tactus amans,
Concordeisque gravi gemitu veneretur amoreis,
Et mollem nostris Mânibus optet humum.
Annuit his Phœbusque pater, doctæque Sorores,
Bacchus cornigerum movit & ipse caput.
Seu manet hæc illum, seu sors diversa libellum,
Multus at in nostro carmine Petrus erit.
Mollis in illius surgit mihi nomine versus,
Crescit & in celereis pagina longa pedeis.
Tunc dulces subeunt curæ, tunc verna iuventæ
Tempora, & in lachrymas nata puella meas,
Vulnere cùm mecum langueret mœstus eodem,
Eque suis gemeret cladibus, eque meis.
Eque meis gemerem flammis, flammisq; sodalis,
Moverat ex unâ quas face blandus Amor.
Vnaq; nutribat facies, quæ sæpè doloreis
Mentibus, heu, nostris, gaudia sæpe tulit.
Sed quid præteritæ revocamus tempora vitæ,
Turbine quæ rapido vertit iniqua dies?
Præteriti memores, quantum meminisse iuvabit,
Carpamus volucris dona diurna moræ.
Hei mihi, dum repeto vetereis ignarus amoreis,
Fugit ab aspectu rapta Thalia meo,

Imperfe-

Imperfecta ferens tenueis mandata per auras,
Præcipitique petit regna beata pede.
Cætera cum chartâ tibi dextera nostra loquetur,
Petre sodalitij pars numerosa mei.
Materiam risus, nam sic Iucunde mereris,
Montibus in nostris carmina lusa damus.
In quibus omnigenos Regina Pecunia luxus
Explicat, & nitidas emicat inter opeis.
Qualis in aspectu Latij Cleopatra Tyranni
Sedit divitijs orbis amicta vagi.
Illam ego cum famulis, illam cum divite cultu,
Permitto manibus, Petre iocose, tuis.
Iusq́; tibi trado, quod in hanc mihi cōpetit, omne,
Et dominum magnæ te facio Dominæ.
Felix augurium, magnarum accessio rerum
Iam tibi nimirum, nec mora longa, venit.
Omnia non fallunt: certè non omina Vatum.
Illa suis Vatum suggerit ipse pater.

Ex Montissonio Calend. Octobr. 1533.

Ad Augustinum Saratum, Hispanum.

EPISTOLA XIII.

MVlta quidem noster de te narravit amicus,
Deq́; tuis Musis, deq́; tuo genio,
Quam tamen adiecit magnæ post omnia laudi,
Vix benè credendis laus dedit una fidem.

Dixit

Dixit, amat, Puerumq́ colit cum Matre volucrem,
Et verſu teneram nobilitat Dominam:
Iamq́ nec argutæ cedit Thereſilla Corinnæ,
Cynthia nec Coâ tam placet in tunicâ:
Quod ſimul ac dixit, ſubitò mihi mentẽ animũq́
In deſiderium vidit abire tui.
Cur ita? quod credã nullum, ſine Amore magiſtro
Victuros lepidâ voce ſonare modos.
Sis felix in amore tuo, cultiſsime vates,
Et Vati facilis ſis Thereſilla tuo.
Delia ſic, Nemeſiſque, tuæ non invida famæ,
Et vocet ad ſocias Leſbia te choreas.

IOANNIS SECVNDI EPISTOLARVM Liber II.

Ad Aegidium Buſlydium.

EPISTOLA I.

QVæ tibi promiſſo gratus Xenophonte repẽdam
Munera, Buſlydiæ celeberrima gloria gentis?
Mittemus pateras, gẽmas mittemus, & aurum;
Fortunatorum felicia dona virorum?
Hæc mihi dura negat vultu Rhamnuſia torvo:
Hæc eadem, vir magne, tibi permulta ſuperſunt.
Quidnam igitur dabimus? fortaſsis carmina duro
Inconcinna ſono ſtridenti reddere voce

Poſſumus,

Possumus, & pretium donatis dicere rebus.
Ergo quot Oceani latitant sub gurgite pisces,
Quot volucres agitant celeres per nubila pennas,
Quot nutrit vaga terra feras, quot sidera cælo
Cernuntur nitidam circùm rutilantia lunam,
Ver blandũ auricomis flores quot gignit in hortis,
Quot profert æstas Cerealeis torrida spicas,
Quot modò produxit tumidos in vite racemos
Autumnus genitor, quot dulcia poma, quot idem
Decußit flavas ventosus ab arbore frondeis,
Quot modò fundet hyems niveos cũ grãdine floccos;
Tot tibi sint, pluresque, dato pro munere, grates.
O tibi quãta fuit, quãta est quoq;, cura fovẽdis
Musarum aßiduè studijs, sacræque Minervæ?
Nec satis esse putas factum memorabile fratris,
Illius æternâ noti super æthera famâ,
Pridem Pierides vitreïs Heliconis ab undis
Ad patrios qui duxit agros, posuitq́; superbo
Marmore laurigeris habitacula splendida Musis,
Lovanij decus, & terræ ornamenta Brabantæ.
Quæ nunc cum populis merito certare Latinis
Audet, & ingenijs fœlix contendere Graijs,
Et sancta Hæbræûm mysteria pandere Vatum.
Ergo priùs virideis spoliabit frondibus alnos
Ver tepidum, glaciemq́; dabit, gelidasq́; pruinas,
Floribus & pro purpureïs, herbaq́; virenti,
Obteget incultas nivibusq́;, & grandine terras,
Bruma rigens reddet nudatis gramina campis,
Floribus

Floribus ornabit terram, messemque videbit,
Luna subire volet fraternos ante labores,
Germanæq; suæ nocturnum scandere currum
Phœbus, & ignotum cupiet volitare per orbem,
Agricola infido mandabit semina ponto,
Et flavam medÿs segetem resecabit in undis,
Buslydiæ gentis quam ter veneranda peribunt
Nomina, & eximÿ morietur fama laboris:
Hoc facient sacri Phœbeïa turba Poëtæ,
Cura viros quibus est, victuro carmine, claros
Tollere de nigris tenebrosi faucibus Orci,
Et vitam post fata novam præstare sepultis.
Nos humili interea canimus iuvenilia Musâ
Carmina, quæ teneros licuit lusisse per annos,
Quos mihi iam primùm fatalia numina Parcæ
Ante dies paucos treis ad tria lustra dederunt.
Forte etiam, pia si faveat modò turba Sororum,
Et Deus integri spatium concesserit ævi,
Maiori meliora tubâ, & graviora canemus,
Atque erimus vestræ non ultima buccina laudis.
Tunc, inter nostri mihi tu, vir maxime, secli,
Proximus à primo numerabere, Mœcenateis.
Interea placido, quæ nunc damus, accipe vultu,
Nosque tuos inter, quod iam fecisse videmus,
Sede vel extremâ, pergas numerare clienteis.

Ad An-

Ad Andream Baverium.

EPISTOLA II.

ILle ego, qui tenueis versus, & inutile carmen,
Hactenus ingratis nimiùm (nam vera fatebor)
Addictus cecini Musis, florentia longùm
Devius in sterileis consumens tempora curas,
Iam demum scriptisque tuis, veroque potenti
Admonitus, pluteo cunctos ex ordine vates
Deieci, Flaccumque gravẽ, magnumq; Maronem,
Et quem grandiloquum produxit Corduba vatem,
Quique canit varias aliena in corpora formas
Mutatas, tenerumq; docet præceptor Amorem;
Mox oratores, vatum cum paupere turbâ,
Ablatos medio, tenebrosâ in parte locavi,
In quorum subière locum Baldiq;, Cyniq;,
Atque alij, quorum tot barbara nomina Musam
Enarrare piget Latiam: quæ cuncta vbi nobis
Visa peracta satis, sed iã quoque convenit, inquam,
Quàm pergam extremũ charis valedicere Musis,
Carmina pauca priùs monitori reddere Vati:
Ac veluti, tumidas quondam exturbãdus in undas,
Dilectam cytharam tetigit Lesbous Arion;
Sic ego, præruptum iam descensurus in æquor,
Vltima decrêram faustæ dare carmina chartæ,
Suasoris quibus ingenium laudare Poëtæ
Mens erat, & verbis super æthera tollere dignis,

Iamq;

Iamq; , mihi longo ter Calliopæa vocata
Murmure, constiterat formoso splendida vultu,
Vocalem manibus cytharam prætendere visa.
At simul ingenteis vidit, longo ordine , libros,
Sarcina qui valido possint gravis esse elephanto,
Proque Marone suo reperit ignotaque verba,
Ignotasque notas, & barbara nomina mille,
Obstupuit , calamumque meum frustrata recessit.
Ergo, tuis si digna minus damus, optime Vates,
Tecum age , qui tanto miserũ in discrimine ponis.

Ad Ioannem Scorellium , Canonicum Traiectinum, & Pictorem eximium.

EPISTOLA III.

PIctorum sublimis honos,columenque virorum
Artificũ, rudibusque novum decus edite terris,
Qui procul ad patrios orbis monimenta Latini
Fers agros, Rhenique locas ad flumina Romam:
Accipe Macliniâ missas tot ab vrbe saluteis
Quot nosti varios tabulæ dare ritè colores,
Quot didicisti hominum diversas ponere formas,
Pingere quot vernâ solitus super arbore frondeis.
Has tibi dat , Batavis tecum prognatus in agris,
Qui discedenti nuper tibi pauca , Secundus,
Carmina concinuit , devotæ pignora mentis:
Expectatq; diem , quâ tecum cernere clari
Mœnia Traiecti, turritaque templa Deorum

Poßit, & ingentem Cæsar quam Carolus arcem
Tutandis posuit populis, Paciq; dicavit.
O felicem illum, si te monstrante, videbit
Divitias, gazasq; tuas, & quicquid in omni
Vel latet Ausoniâ, vel dædala Græcia vidit.
Fingimus hæc nobis, sed quidnam fingere prodest
Irrita velivolas vento iactanda per undas?
Vsque adeò Batavis studiosè finibus arcet
Invida me fati series, & iniqua tyrannis
Fortunæ, quæ Diva potens mortalia versat.
Sed veniet, veniet tempus; licet improba pugnet
Læta hominũ Fortuna malis, quod iungere dextras,
Quod notas audire dabit, quod reddere voces,
Si quid vota valent, nec nos tua littera fallit,
Cùm te Macliniâ iam iam spectabimus vrbe.
Interea, celeri Phœbus secet aëra curru:
Noctivagosq; boves stimulis vaga Luna fatiget.

Ad Carolum Sucquetum, Flandrum.

EPISTOLA IV.

CArole, quem nondum visum cogebar amare,
Concordeis venerans laudeis ex orbe remoto.
Quas tibi certatim cœtus cumulabat eorum
Qui mediocre nihil, tantùm sublimia norunt
Tollere, non dociles quæ sunt laudanda silere.
Heu, quæ longinquas advenit fama per oras,
Fama nigrescentum plumarum tegmine pulla,
Funereas-

Funereasque faceis, atramque ferens cupressum,
Ora gerens centum, lugubrè sonantia carmen,
Absorptum fatis, &, prò dolor, exhalatâ
Alpinas Sucquetum animâ soluisse pruinas:
Ac iuvenile illud, dignum melioribus annis,
Tellure ingelidâ tabescere corpus, at umbram
Pallidulas iuisse vias, vbi creditur olim
Portitor incanus cariosam volvere cymbam.
Hæc totâ miserum funestæ nuncia cladis
Mente procelloso sic turbine deiecerunt,
Vt vix crediderim simili iacuisse dolore
Confusam Prognen, fictâ cùm in morte sororis
Sumere barbarico iussa est lugubria regi.
Quid facerem, dulci iam bis privatus amico?
Ante quidem, rapto, sed sic vt reddere posset
Si qua dies votis nostris non lenta faveret:
Nunc, procul in longis iusso dormire tenebris,
Vnde negant oculos vigiles attollere quenquam,
Quid quererer? tecum mens obsopita iacebat:
Et sine sole dies ibant, sine sidere noctes.
Ah, quoties, hærens in tristi carmine lingua,
Destituit dominum, conantem talia fari?
Te ne, ergo raptum à patriâ, charaque parente,
Infelix iuvenis, primævo in Veris honore,
Fata peregrino voluerunt pulvere claudi?
Tamque citò potuit mors illachrymabilis uncâ
Falce tuos annos, & spes resecare tuorum?
Hoc, hoc illud erat, quod cùm te eduximus vrbe,

Quâ ſinuoſa meant opulenti flumina Deli,
Et procul incipiunt Scaldis ſentiſcere nomen,
Migrantemq́ ſumus loca per conceſſa ſecuti,
Sic alacer, ſic lætus eras, teq́ ire videri
Ad connubia dicebas, lætoſq́ Hymenæos:
Et fortaſſè tuæ metuebas omina mentis.
Heu, nunc illa iacet legum numeroſa ſacrarum
Cognitio, menſque illa novem devota Deabus,
Et choreæ, & cantus, & quicquid amabile vitæ eſt,
In tabum tellure nigrâ depreſſa recumbunt.
Et quorſum nunc cura? laborq́ vigil? totieſque
Lux gravis? & toties nox defraudata ſopore?
Scilicet, ut dicat multis è millibus unus,
Ah, curas, Sucquete, tuas, longoſque laboreis
Abſtulit hora nocens, & iniquâ merſit arenâ
Nempe nihil Divæ potuerunt addere lucis,
Quæ fundunt liquido reſideis in vertice cantus:
Fila ſevera cohors abrupit, terq́ tribus, tres
Prævaluêre Deæ, Nunc, i, cole ſacra Sororum,
Sacra colens, quicunque cupis per inertia ſtagna,
Ad ſedeis avidas, & regna tenacia mitti.
Heu fera ſevities, & lex non æqua Deorum.
Phœbus ad occaſum flammas molitur ab ortu,
Idem, florenteis iuvenili Veris ab ævo,
Per rapidos æſtus, & pomiferos autumnos,
Provolat ad ſenium glaciale volubilis anni.
Cùm ſemel occæpit arcu palleſcere dextro,
Læva ſeneſcenti debentur cornua Lunæ.
At nobis

At nobis miseris incerta stat orbita vitæ:
Et quoties iuvenile decus properata senectus
Occupat, & medio floreis languescere Vere
Cogit odoratos, opulentaq; vota caducis
Vellit ab arboribus, truncosque relinquit inaneis,
Arenteis truncos, & edaci pabula flammæ.
Talia volventem, & tantùm non talia fantem
Vidit, & ora quater mutavit menstrua Phœbe:
Solque unum cœli spatium complerat, & ignis
Aegocerontæi gelidum peragraverat orbem,
Cùm tandem, Ausoniis quidam delatus ab oris
Me mihi restituit, lachrymosaq; nuncia damnans,
Sese oculis vidisse suis tua lumina dixit,
Et tetigisse manus, vocemque hausisse, nec ulla
Narravit venisse tuis incommoda fatis.
Haud aliter stupui, quàm cùm conspexit Orestem
Viventem germana, cui funebria dudum
Solverat, & tristeis defleverat ossa per aras.
Tunc mihi visus eras gelidis redivivus ab umbris
Illicitas remeasse vias innabilis undæ.
Et tali iam nolebam caruisse dolore.
Vive tuos annos, & sint tibi mollia fata:
Inque tuam patriam tibi det Fortuna reverti,
Stipatum Musis, & terris exule Divâ.
Plectit odoratas tibi Flandria læta corollas
Terra parens, cinctura comam redeuntis alumni.

Ad Marc. Antonium Caimum, Mediolanensem.

EPISTOLA V.

TV licet, æternæ mediâ Virtutis in arce,
Vrbem quâ posuit Biturix in pinguibus arvis,
Dulcibus insudes studijs, labrisque diserti
Alciati excipias semper manantia mella:
Quæ te felicis tinctum medicamine roris
Omnia carpenti prohibebunt cedere fato,
Et famâ ingenti magnum super æthera tollent:
Non tamen hæc nostris possunt contendere, Marce,
Delicijs, quas rura oculis gemmantia fundunt:
Delicijs, quas ori infundit myrrheus aër,
Et picturatæ mittunt per inania sylvæ
Auribus, è volucrum modulamine matutino.
Cedere fumosis ignorant prata caminis,
Et flavæ segetes, & opes ter mille colorum,
Fluminaque obliquas inter crepitantia ripas,
Nec, casa quòd parva est, atq; obsita marmore nullo,
Obsita viminibus; nec quòd laquearia centum
Non præbent totidem suspensos vespere lychnos,
Non iuvat hoc etiam: liquidas admittimus auras
Sic melius, minimũq; loci est sine mollibus herbis
Nec tamen heic desit, rabidi quo Sideris æstum
Ventorũq; minas satis excludamus, & imbreis,
Aut vbi securos nocturna silentia ponant,

Aut libris, studijsque diurna negotia dedant,
Aut ubi mensa suo spumet genialis Iaccho.
Ante oculos arx est, quæ colli imposta virenti,
Despicit & sylvas, & prata iacentia longè,
Et longè positas spatijs distantibus vrbeis.
Ipse locus sylva est, neque desunt Numina sylvæ:
Sæpè illic Nymphas, arbusta per arcta vaganteis,
Auritosq; Deos stupidi vidêre coloni.
Præsidet his latè regnis venerabilis ævo,
Coniuge cum serâ, natisque virentibus, heros.
Eloquar, an sileam? natam quoque nutrit in arce
Formosam, teneram, sed non potes omnia scire;
Incomitata solet sylvis hæc sæpè vagari,
Vix inter comites benè dignoscenda Dianæ.
Nunc vallo conclusa latet: quæ caussa latendi,
Finitimi dubitant: Sed sunt, qui dicere tentent,
Advenisse novam Fauni de gente cohortem,
Qui rapiunt quascunque vidēt per rura vagāteis,
In saltusque vagos tractas, & in invia sylvæ,
Luctanteis terebrant villosi pondere nervi.
Hoc quoque quis credat? venādi discimus arteis:
Atque vbi luce dies cœpit pallescere primâ,
Et thalamos egressa viri Tithonia cani,
Ambiguo summas aspergit lumine villas,
Roranteis per agros, canibus comitantibus, itur.
Qui postquam latos cinxêre indagine colleis,
Incauto lepori, dum se movet, assilientes,
Plurima conanti decerpunt undique vitam.

Ilicet irruimus, prædamque è dente tenaci
Vellimus, at fera turba canum latrantia frustrã
Ora movet, raptoque oculos in corpore figit:
Miraturque suos aliò transire labores.
Ah, quoties, noto, tutoque cuniculus antro
Digressus, longè & genti deprensus odoræ,
Paßibus haud æquis fugit impendentia rostra
Lassus? & exiguæ spoliatur muneræ vitæ?
Sæpè manu validâ lunamus flexile cornu,
Aetheria & tenui terebramus nubila ligno;
Sæpè animâ dulci spoliamus in aëre corvum;
Sæpè per umbrosos saltus, & devia sylvæ,
Turbamus cervæ alipedis vestigia ferro.
Perdici quoque pernicies funesta paratur,
Si quando segetes, arbustáve tuta relinquit,
Fataleisque petit campos stridentibus alis:
Quippe vbi labentem tellus malè fida recepit
Corpore languidulo, fessumque labore volandi,
Hostili subitò circum discrimine septus
Multa tremit tacitus, dentataque fata moratur:
Infaustamque animam latrante sub agmine ponit.
Nil arteis illi, nec avita sagacia prodest,
Aut genus à Puero deductum nobile, primus
Qui serram dedit, & bifido (mirabile) ferro
Circum in se duxit speciem revolubilis orbis,
Quo terræque, fretumque, & magni machina cæli
Signatur, discuntque viri sua volvere fata:
Ingentemque Iovem tenui suspendere chartâ.

Hæc,

Hæc, & plura, velim quæ te cognoscere coram,
Ab desiderio revocant vrbisque sacratæ,
Mellitoque sodalitio, pars maxima cuius
Marce mihi (lætor sic te voluisse) manebis,
Quo te cunque ferent pennis felicibus auræ,
Quo me cunque vehet dubijs Rhamnusia plumis.

Ad Didacum Mendozam, Poëtam Hispanum.

EPISTOLA VI.

DIdace, quid, frustra, Vatem levioribus olim
Assuetum numeris, vrges ad grandia verba?
Carminaque integris solidè constantia membris?
Qualia, cùm magni caneret primordia mundi,
Floridus insonuit grandi Lucretius ore?
Magnos magna decent: rivos ego, parvaq; quæro
Flumina: nec ventos, sed lenem persequor auram.
Turbatos alij fluctus maris, & salientis
Neptuni fremitus, & Tethyos undosaï
Fluctifragis spectent de verticibus scopulorum.
An me non potiùs myrti iuvet umbra venustæ,
Quæ gracilem, vernis Zephyris impulsa, coronam
Commiserata, meos mecum suspiret amoreis?
Quam sylvâ in magnâ pugnãteis cernere quercus,
Turbinibus ventorum in mutua vulnera pulsas?
Quâ pineta graui resonant concussa fragore?
Cumque imis orni radicibus exturbantur?

Nec tenueis cantus datur exaudire volucrum?
Tu, quem per maiora vehit fastigia rerum
Spiritus, ingenti laudis percullsus amore,
Et cuius genus heroûm de sanguine ductum
Ignorat carmenq; leve, & Musam popularem,
Erige te, pete sidera non ignotus avita,
Nec cursum aërio Parnassi in vertice sistas:
Mendozamq; domum præclaram Marte togaq;,
Quâ nil nobilius circumspicit Occiduus Sol,
Extremis notam populis, ævoq; futuro
Effice, divinis numeris, linguâq; disertâ:
Namq; potes, nec te frustra olim gurgite flavo
Excepit Tybris, sacris & perluit undis,
Insignem cythara iuvenem, rursusq; Poëtam
Hispanæ gentis mirata est maxima Roma:
Nec frustra ad sacras cecinit tibi carmina cunas
Calliopea soror, magnum decus Heroinis
Hesperijs; felix, si nunquam fortibus ausis
Cum tenero crudum iunxisset Apolline Martem.
Nos sine ferre gradum tua per vestigia lente,
Sæpius atque aliò incertos deflectere gressus,
Atque iterum remeare, iterumq; iterumq; relabi:
Nec tibi displiceat nostræ temulentia mentis,
Infirmiq; gradus: si magnum quisque Maronem
Aequasset, nunquam didicisset Delia cautos
Fallere custodeis, & mensas pingere vino,
Nec nosset succos queis collo livor abiret:
Cynthia non clausos dilecti Vatis ocellos

Docta reclusisset tremebundo molliter ore:
Nec Veneris Puer indomitus, Nasone magistro,
Maternam cultis iam moribus ingrederetur
Per Romã, patriæ iã non memor ampliùs Aethnæ.
Denique, si paribus certarent nixibus omnes,
Quot rapiunt volucres Elæo in pulvere currus,
Quis ferret primum palmæ viridantis honorem?

Epistolarum Finis.

IOANNIS SECVNDI FVNERVM Liber unus.

In obitum Clarissimi viri Nicolai Everardi Middelburgi, Patris pientissimi, QVERELA.

ILicet, invenit vox interclusa meatum,
Exiguamq; viam per tot suspiria duxit,
Et condensatæ ruperunt claustra querelæ
Pectoris angusti: nunc, dum licet, ite per auras
Clamoresque graves, & fœminei singultus,

Sublimis-

Sublimiſque meo pulſetur regia queſtu,
Agnoſcantque ſuum fatalia ſidera crimen,
Palleat & Phœbus, nigreſcat & ignea Phœbe,
Stellaque nulla vago lucem diffundat Olympo,
Nox tenebris incincta caput nigrantibus adſit;
Mors tenebris, longoque oculos immerſa ſopore,
Quicquid & obſervat nigra limina flebilis Orci
Ante meos oculos pallentia proferat ora.
Aſpiciam cunctos hodiernâ nocte dolenteis,
Aſpiciam nullos ridenteis luce ſequenti,
Non levis occurrat, ſponſæ placiturus amatæ
Purpureus iuvenis, nec compta puella marito;
Omnibus in vicis mihi ſe pullata caterva
Offerat, infelici humeros oneratra pharetro.
Quos circùm, nigrâ frontem velata cupreſſu
Funereas plebs tota faceis per compita quaſſet.
Huc veniant lachrymæ, Niobe quibus obruta mater
Non abſtergendas tulit in nova marmora guttas;
Huc veniant gemitus, gelidus quos audÿt olim
Hæmus, & indoluit vidui bis ſorte mariti.
Quoſq; graveis plactus, per & æthera fudit & æquor
Coniugis agnoſcens, ah, non ſic exſpectati,
Pallidulum cano quaſſatum gurgite corpus,
Flebilis Alcione, plumis tectura dolorem.
Et quoſcunque ſonos, infeliciſsima Progne,
Vel, dedit, auditâ crudeli morte ſororis,
Vel cùm tam miſerè ſupereſſe videbat eandem.
Et quicquid Priamus lachrymaverat Hectore fuſo,

t quicquid Priamo cæſo, Priameïa coniux :
roruat huc, geminetque meo de vulnere vireis.
Quæq; meis lachrymis nondũ maduêre ſepulchra,
hara ſepulchra, ſepulchra Patris mœſtiſsima chari,
Nec noſtras habuêre roſas, nec olentia ſerta,
Has voces, has accipiant de gente remotâ
uctiſonas voceis, quas & Nabatheius Eurus,
rigida flabra movens orientis conſcia Solis,
Audiat, & Zephyrus declivi Sole tepeſcens,
Quæq; iacet Phœbi tellus ignota quadrigæ,
uſpirentque meis longinquæ fletibus auræ.
Hæc pater infelix, hæc ſubſidentibus annis
Præmia debebas operoſæ ſumere vitæ?
as erat, emenſis agitati fluctibus ævi
Tranquillo in portu corpus componere feſſum,
Et lætam poſitis curis evolvere vitam;
Quæ nunc nuda procul Lætheas vecta per undas,
ngemit humani molimina vana laboris.
Forſitan atque animas, ſi quas redeuntibus annis
Fata iubent iterum ſuperas evadere ad auras,
Conſuetoque novum moderari flamine corpus,
Admonet, vt curis nunquam innectantur amaris,
Sera neque extendant in longam vota ſenectam.
Tu ne igitur loca pallida, tu ſquallentia regna,
Ignavique nigrum Cocyti littus oberras?
Nec virtus tua, chare Pater, tibi profuit uni?
Nec pietas? iuſtique amor inconcuſſus & æqui?
Quin iter obſcurum, Fatis urgentibus, ires,

Et natis

Et natis miſeris & multùm flente maritâ,
Et populo indignante, & ſuſpirante Senatu!
Nos pietate tuâ ſtudijſque fidelibus orbi,
Tædia deſertæ traheremur in aſpera vitæ:
Qualiter implumes celſa ſuper arbore pulli
Amiſſum trepidante parentem voce requirunt;
Quem, dum pauca ſuis pro pullis grana legebat,
Agricolæ rigidi telum confixit in herbâ:
Flent illi, tenuiq; ſono loca frondea complent,
Si quà expectatum videant revolare parentem.
Felices illi, quia nunquam certa videbunt
Signa necis patriæ. Nos cogimur omnia ſcire,
Et nobis homines, & nobis muta papyrus,
Et nocturna malum funeſtum ſomnia narrant.
Si tamen eſt aliquid quod de tellure ſepultis
Fertur, & antiqui non fingunt omnia vates,
Innocuæque animæ mundo meliore fruuntur
Colle ſub Elyſio, vel ſi quid amœnius illo eſt,
Inter odoratas lauros, ad flumina ſancta,
Sole ſub ambiguo, traducis in otia lætos
Lenta dies, neque nocte unquã, neq; nube tegẽdos.
Et quocunque moves greſſus, tibi totus eunti
Aſſurgit latè populus, tibi magnus eunti
It comes Elyſiâ redimitus tempora quercu,
Iuſtus Ariſtides, teque in loca devia ducit
Manibus ignorata novis, vbi florida tellus
Felices Zephyros meliori aſpirat odore,
Numina quà liquidi ſeptem flaventia mellis,
Et toti-

Et totidem nivei labuntur flumina lactis,
Luxuriantis opus Naturæ, vbi porticus arcu
Innumero frondens trunco dependet ab uno
Ordinibus paribus, mediâ consurgit in vmbrâ
Arbor Tænariæ speciem mentita columnæ,
Summa operis pulchri; terramque cacumine pūgit
Implicito, annectitque comam radicibus imis
Diffusis latè per opaci iugera campi,
Et circùm labyrintheos curvatur in orbeis,
Floribus & varijs, & pomo multicolore
Et virideis ramos plumis distincta volucrum,
Mulcentum liquidis puram concentibus auram.
Illic Heroës, proles invicta Deorum,
Et quæ magnanimæ Virtutis castra secuti,
Heroum per facta alacres ivêre, Deûmque,
Frondosis tecti cameris spatiantur, & arteis
Exercent, vitæ memores in secula priscæ:
Et vetereis renovant curas, vetereisque laboreis,
Curarum immunes, onerosorumque laborum.
Obvius ingredienti omnis ruit agmine longo
Cætus, & antiquis socium te Manibus addunt,
Manibus antiquis, qui ius colüêre, fidemque,
Tunc cùm sola sibi merces pulcherrima Virtus
Esset, & utilitas nunquam certasset honesto.
Cumque Solone suo te Græcia cumque Lycurgo.
Cūq; Numâ veteri Latiū veneratur, & Anco. (sūt,
Quid tamē hæc prosūt (quāvis tamē hæc quoq; pro-
Et lachrymis nostris cursum tua gaudia sistunt)
Si nun-

Si nunquam post hac te te, Pater, aspiciemus?
Visuri in gelido tantùm tua nomina saxo,
Cum nos ad patrios Fortuna reduxerit agros;
Ingratos agros, vbi te, charissime rerum,
Cernere non liceat: vbi magni membra parentis
Occulit exiguâ tellus iniusta cavernâ:
Mater vbi longo tabescit saucia luctu,
Turgenteisque oculos in flumina salsa resolvit,
Fumanteis in aquas nix vt nocturna residit,
Cynthius afflavit quam sidere matutino:
Frater vbi, & scissis mœret germana capillis,
Vdaque frigidulis singultibus ora fatigant.
At si Fata sinent tamen, ibimus, ibimus illuc,
Cernemusq; lareis, quibus, heu, quibus optimus ille
Extremæ moriens submisit lumina nocti,
Visemus tumulum, & tumulo sua dona feremus,
Tercentum tepidas thuris pro munere guttas,
Tercentum gemitus, tercentum tristia verba,
Pro violisque, rosisque, & pulvere suavis amomi,
Et sanctam magna ter voce vocabimus umbram.
Illa sacros lucos, & fortunata vireta
Divitis Elysii, tunc læta libensq; relinquet,
Et pennis allapsa petet pernicibus urnam
Ipsa suam, ridensque sui ludibria busti,
Pauca aspirabit leni mihi verba susurro,
Demulcens curasq; meas, & tædia luctus
Longa supervacui, placidâque ita voce loquetur:
Nate, meæ nuper lenimem dulce senectæ,

Et nuper mea cura, & nunc mea cura, beati
Si curare tamen possunt mortalia Manes,
Quò mihi tot lachrymæ? nõ has mea funera poscũt,
Poscunt illorum quorum mors omnia finit.
Vixi, & nascenti dederant quam longa Sorores
Stamina, maturo devoluit pollice Clotho.
Ipse meos annos, vitæ sine labe peregi,
Exiguumq; mei tellus obscura recondit;
Cætera tam parvâ non compescuntur in urna:
Pars sed in æthereas sedes natalia regna,
Cessit, pars Famæ niveæ plaudentibus alis
Ingenti vehitur ventura in secla triumpho.
Quoq; magis vario vita est mihi ducta labore,
Hoc magis elucet fatis exercita virtus.
Iamque ubi (fabor enim, si sic tua fortè leventur
Vulnera) post primos ævi iuvenilis honoreis,
Principis invicti dono pars una Senatûs
Ipse forem magni; cuius sub legibus olim
Antiquæ Belgarum vrbes, populique potentes
Submissi, iustumq; colunt, æquumq; tuentur,
Continuò Batavas Præses dimittor ad vrbeis,
Effreneis populos, qui tunc vix ulla tenebant
Fœdera iustitiæ, sed vi, sed cæde cruentâ,
In commune malum contemptâ lege ruebant,
Mutua civili miscentes vulnera bello.
Quæ mala non illic, quæ non discrimina sensi,
Improba dum meditor confringere facta potentum
Nobilium, innocuosq; homines arcêre rapinâ?

Sed fretus iustisque Deis, & Principe iusto,
Fraudibus obsessũ, atque minis, gladijsq; nefandis
Obnixus perrupi iter, Astræǽq; potentis
Signa per obstanteis acies interrita duxi.
Armatumq; domans sacratis legibus hostem,
Otia paulatim populis tranquilla paravi:
Iamq; mali tanti vestigia rara manebant,
Et iam bis novies Sol circumvolverat axem,
Ex quo cœpissem Batavæ moderamina gentis,
Cùm me, supremo Cæsar dignatus honore,
Mandavit rebus magni superesse Senatûs
Machliniâ in clara, sinuoso vbi gurgite Delus
Fert flavas opulentus aquas, æquataq; cœlo
Templaq; Divorum, procerumq; palatia surgunt,
Mœniaq; hostili nunquam calcata tumultu.
Illic, in magno dominatu, mitia lætis
Iura dedi populis (sunt hæc tibi cognita, Nate,)
Semper in obtutu mentem defixus honesti:
Non amor hanc, non hanc odium, non gratia flexit,
Non metus, & domitrix regina pecunia rerum.
Sæpè videns reiecta alto sua munera vultu,
Attonitum nostro retulit de limine gressum,
Indoluitq; nocens, quòd non minùs integer essem.
Sic ego cùm fidus Domino consultor, & idem
Litibus implicitis iudex æquissimus essem,
Pauca mihi aggessi malesuadæ pondera gazæ:
Quod tamen aggessi, multo pretiosius istis,
Innocuam famam vobis, nomenque relinquo
Quod

Quod non una terat revolutis solibus ætas.
Vivite felices, & nostras ite per arteis,
Naturæq; datum consumite legibus ævum.
Tempus erit, cùm vos ater quoque pulvis habebit,
Vestraq; cum nostris calcabunt ossa nepotes
Immemores, & de tam multis rara superstes
Littera nominibus tritâ evanescet in vrnâ.
Interea speciem nostri tamen orbis habebit
In vobis (neque enim mea me præsagia fallunt,
Nec monitus ventosa meos discerpserit aura)
Quòd si vos etiam tenuis fortuna sequetur,
Præmiaque accedent laudato parca labori;
Sic etiam simileis non sit pudor esse parenti,
Magnarum ne forsan opum tam dira cupido
In diversa trahat sensim vestigia vitæ
Ignaros, & dum similes non esse parenti
Vnâ in re cupitis, similes non sitis in ullâ.

In mortem Mercurini a Gattinaria, Caroli V. Imp. magni Cancellarij.

MErcurius moritur. quid? Maiâ natus? an ille,
Dignus qui Maiâ, qui Iove partus erat,
Quem sibi vult socium terrenus Iupiter olim,
Sive paret pacem, seu grave Martis opus?
Scilicet, ille iacet. Quid non Fata improba tẽtant?
Hei mihi, numinibus Mors quoque dira venit.
Iam tibi fatalem prædico, Iuppiter, horam,
Qua fratris venias hospes ad antra tui.

Tu quoque nigranti vectus novus advena regno,
Phœbe Poëtarum Pieridumq́; decus,
Primus inaſſuetâ pinges albedine regnum,
Quod mæſtum tenebris nox inamœna tegit.
Magna cohors Divûm, tumulos, urnasq́; parate;
Improba falciferâ Mors petit aſtra manu.

Mercurinus ad Viatorem.

DIſce ſequi fatum, quicunq́; tenentia noſtri
Neſcio quid cineris marmora dura vides.
Diſce ſequi rectum, quicunq́; loquacia ſaxa
Ferre vides laudes per freta longa meas.

Margaretæ Auſtriæ, Maximiliani Cæſaris filiæ, Epitaphium.

CAeſaribus proavis, & Cæſare clara Nepote,
Margareta Auſtriaci ſata ſemine Maxmiliani,
Illa ego, quæ miti rexi moderamine Belgas
Et per fœmineas percuſſo fœdere dextras
Diſcordeis populos tranquillâ pace beavi,
Heic fato depreſſa cubo, tellusque tenebit
Neſcio quid noſtro de corpore pulveris atri.
Luſtra decem vitæ Lacheſis vix neverat, & mox
Stamina Parca ferox fatalia rupit, iterq́;
Ire per obſcurum nulli remeabile iuſsit.
At vos plebeio geniti de ſanguine, quando

Ferrea

Ferrea nec nobis didicerunt Fata nec ullis
Parcere nominibus, patientius ite ſub umbras.

In eandem morientem.

ERgo, nigra dies, & adeſt quoque flebilis hora,
Fœmina dia, tibi? nec Mors diademata curat?
Ergo longa quies tibi iam properatur, & iſta
Lumina perpetuis claudet nox una tenebris?
Nec pietas, nec ſancta fides, nec nobile ſtemma,
Belgica nec Divos tellus miſeranda movebit?
Scilicet hoc fuerit tumidæ monuêre quod undæ,
Et terræ lachrymas ſuggeſſerit Amphitrite.
Illa orbanda ſuâ rectrice, orbanda parente,
Iam nunc in riguos meditatur abire liquores.
Parce piјs lachrymis tellus, & parce querelis.
Nec mutari opta, quod ſtat fatalibus olim
Ignibus impreſſum, nullis revocabile votis.

Epitaphium Puellæ caſtæ.

MIlle procos habuit, contempſit mille Lycoris,
Pacta fides uni ne violata foret.
Vni fida viro cantetur mille poëtis,
Vivat & in canis inclyta marmoribus.

In obitum doctiſsimi viri Iacobi Volcardi Bergenſis, Nænia.

ERgóne Volcardus tenueis quoq; ceſsit ad vmbras
Advena Lethæum flebilis ad fluvium?

Regnaque Persephones vidit lugubria furvæ?
Et rabiosa canis guttura tergemini?
Flectere nec potuit tetricas galeata Sororeis
Diva, secatrices vel cohibere manus?
Infernisque pium vatem prohibere tenebris,
Lentaque sub seram ducere fata diem?
Talia debuerat sancto dare præmia mystæ,
Vertice de patrio quam saliisse ferunt.
Debuerat vati medicus succurrere Phœbus,
Si quid habent herbæ, carmina si quid opis.
At non cura Deos hominũ ulla remordet, & unam
Iustus & iniustus cogitur ire viam.
Et perstamus adhuc prece, thure, bidentibus, auro
Non audituros sollicitare Deos?
Nempe iacet raptus primis Iacobus in annis:
Heu, nova Belgarum gloria nempe iacet,
Et iam de sacro quid tandem corpore restat?
Ossa, cinis, pulvis, nomen inane, nihil.
Scilicet omne suos repetit, repetetq; recursus,
Et gaudent reditu singula quæque suo.
Terra tulit cunctos, cunctos quoque terra resolvit,
Mutat & in cinerem quod cinis ante fuit.
Nec iuvat in longas vitam traducere curas,
Pectore cœlesteis & penetrare domos,
Venturumq; loqui, cantu pollere, vel herbis:
Artibus, heu, nullis mors remorata venit.
Illa manet servos, diteis manet illa tyrannos,
Illa manet pueros, & manet illa senes.

Ergo, age, qui legis hæc, Fati cape iura superbi,
Teque para tumulo, mox moriture, pari.
At tu Musarum formator prime mearum,
Vive, vale, tellus molliter ossa tegat.
Nos, quæ sola manent pallenteis munera Maneis,
Quos semel inferni Navitâ vexit aquâ,
Carmina sculpemus memori longæva sepulchro,
Quæ tua de Stygiâ nomina valle trahant,
Carmina flebilibus lugubre sonantia chordis,
Carmina longinquus quæ legat, & lachrymet.

Eiusdem Epitaphium.

HOspes, qui calcas loca tristia defunctorum,
Siste gradum; cineres heic Iacobus habet.
Aspera quem fata, & nostro nimis invida seclo,
Non sunt maturos passa videre dies.
Volcardo cognomen erat, primordia vitæ
Berga dedit, quo stas, nunc habet ossa, locus.
Quicquid Roma docet, quicquid docuistis Athenæ,
Noverat: obscurum non minus ivit iter.
Illius ad tumulum Nymphæ Parnasides udas
Effundant lachrymas, Pallas & ipsa gemat.
Illius ad tumulum succrescat Apollinis arbor,
Mixtaq; cum violis lilia, cumque rosis.

Iacobi Platpays Morini, Musici Imperatoris Caroli V. Epitaphium.

CVi sors innocuo frustra quæsiverat hostem,
Armavit socias in mea fata manus.
Perfidus incauto ferrum demisit in armos,
Labentem solis destituitque locis.
Sanguine rorantes cædem lachrymantur olivæ,
Sub quibus exspirans ultima verba dedi.
Et mea turmatim gemuerunt fata volucres,
Hæc fuit una meæ conscia turba necis.
Flete piæ volucres: & nos quoque flevimus umbras,
Claraque sunt cantu multa sacella meo.
Infantem tellus Morinûm nutrivit amœna:
Arragonum montes sunt mihi pro tumulo.
Cæsaris ante focos solennia sacra peregi,
Quam peterem moriens non fuit ara mihi.
Cæruleos sparsi fumos ante ora Deorum,
Sanguine styx latè nunc rubet atra meo.
Tu quicunque cupis meliori occumbere fato,
Suspectum Fidei nobile nomen habe.

In obitum Ioannæ Fontanæ Bituricensis, Matronæ clarissimæ Nænia.

IPSA LOQVITVR.

MVneribus quos terra suis dulcissima nutrit
Hæc legite (ô, quorum de grege nuper eram)

Quæ

Quæ muti cineres alieno dicimus ore,
Et semel humanâ discite lege mori.
Fidite nec formæ, nec opes numerate, nec annos:
Omnibus his poteram vincere, victa cado.
Nec si longa graves circumdant atria ceræ,
Nec si multa piâ victima cæsa manu est;
Nec si plura sacras fragrarunt thura per aras,
Nec, si arteis vobis mille dedêre Dei,
Linguaq; contigerit, quæ possit flectere Ditem,
Credite lanificas fallere posse Deas.
Talia si possent rigidas mollire Sorores,
Nunc quoque, quâ terimur, cõtereremus humũ,
Non parvum in gelido gereremus marmore nomẽ,
Nomine cum veteri quam malè conveniens?
Nomen quod toties lachrymis gemituq; sequetur
Coniugis orbati, nunc quoque magnus, amor.
Unde prius risus carpebat & omnia læta,
Melle quod Hyblæo dulcius ante fuit:
Hei mihi, quem video longo raucescere questu,
Tondentem geminâ pectora mœsta manu,
Horrentem impexisque comis, & vestibus atris,
Manantem lachrymis insatiabilibus,
O dulcis coniux, sunt hæc rata iura Deorum:
Omnibus ad Maneis una eademque via est.
Ante tuos obitus sibi me Libitina sacravit.
Hoc est, quod Superos sæpe precata fui.
Me tibi fles raptam? gaude posuisse dolores.
Clade citâ perij? sum cruciata minùs.

Non ego tergemini Canis indignantia rostra
Vidi, non oculos terruit Hydra meos.
Mœnia non hîc sunt triplici circundata muro,
Flammanti Phlegeton qua ruber ambit aqua,
Saxa, rotæ, scopuli, fugientia flumina, vultur,
Tale nihil noster mitior orbis habet.
Blanda quies habitat, & longis otia festis,
Et pax Palladiâ fronde revincta caput.
Hinc curas hominum tot despectamus inanes,
Et mixta alternis gaudia falsa malis.
Hinc tumuli ridere mei ludibria possem,
Ille foret vestræ ni piet tis opus.
Tu facis obscura ne putrescamus in urnâ,
Inscribens querulis clara sepulcra notis:
Quæ, tam concordeis longùm testantia flammas,
Diffundant titulos in nova secla meos.
Pro quibus officijs, longam tibi numina vitam,
Et vacuam curis dent, vacuamq; metu.
Ne teneræ soboli geminent tua funera luctum,
Quorum onus in patrio nunc iacet omne sinu:
Ast vbi sera dies fatalem vexerit horam,
Quæ solvat vinclis te quoque corporeis:
Lætus in Elysiâ mecum spaciabere ripâ,
Quâ Lauri vitreas lucus inumbrat aquas.

Epita-

Epitaphium eiusdem Ioannæ Fontanæ.

Hospes, Ioannæ hoc Fontanæ habet ossa sepulcrũ,
Hanc Venus, & Iuno flẽt simul, & Charites.
Matronale decus Iuno, Venus aurea formam,
Illius extinctam flent Charites charitem.
Nobilitatem, & opes ab origine duxit avitâ,
Virtutem variam mens generosa dedit.
Splendida de puro gestabat nomina fonte,
Qui, puto, Pægaseo de pede fudit aquam.
Pectora crystallo pellucidiora gerebat:
Noverat & quicquid Franca poësis habet.
Docta melos digitis, liquido seu fundere cantu,
Quale canit dulci gutture serus olor.
Non ignara iocos, & non ignara choreas,
Docta loqui blandùm, sed mage docta fidem:
Moribus his visa est dignissima coniuge, cuius
Sæpe tulit facilem regia charta manum.
Nupta cui primo viridantis flore sub ævi,
Enixa est socij pignora quinque thori.
Cum quo communi partita est omnia fato,
Forsitan & cuperet nunc quoque flere simul,
Mitiùs vt ferret divisos ille dolores,
Inconsolandos qui modò dat gemitus.
At vos mortales, quorum non læserat ullum,
Ferte rosas illi, quæ rosa nuper erat.

Hiero-

Hieronymi Moresini Mediolanensis Biturigibus in lacum unà cum equo, cui insidebat, demersi, Epitaphium.

HAc Moresinus habet cineres Hieronymus urnâ,
Mœnia qui voluit dum peregrina sequi,
Nomen vt acciperet a vulgi nomine dispar,
Ausonidum dulci de regione procul,
Mersit in obscœnâ iuvenilia vota palude,
Perq́; necatrices ad Styga navit aquas.
At tu qui transis, umbræ iace verba silenti
Qualia vis cineri sera venire tuo.

Formosi iuvenis Hedui, Imp. Caroli V. Pocillatoris, Epitaphium.

MArmoreâ iuvenem facie croceoq́; capillo
Miscentem nostro pocula casta Iovi,
Iuppiter ætherias cur invide tollis in arceis?
Quod Puer Iliacus, non erit iste tibi.
Vlta tuum, melius nunquam, Saturnia crimen,
Formosum thalamis inferet ipsa suis.

Epitaphium Petri Everardi Monachi, fratris optimi.

NObilis & Legum titulis & Præside patre,
Molliter exactis vitæ viridantibus annis
Aestas occiduum dum fervida tangeret ævum,
Petrus ego heic iaceo. Non me plorate sepultum:
Tunc

unc plorandus eram, cùm me vis invida ſortis
ugubri iuvenem fato, quo leniùs hoc eſt,
volvit, claroq́ viam præcluſit honori.
nimus ad metam, (lachrymis hæc dicite veſtris
quicunque meo lugetis funere mœſti)
aſcenti leges quam præfixêre Deorum.
vite felices, nec me duxiſſe dolete
empus in hoc vitam, quod pertranſire negarat
torum ſeries, cœliq́ volubilis ordo.

Epitaphium Fauſtini cuiuſdam.

Erventi Veneris Fauſtinus ab igne peruſtus
Heic iacet, & tecto ſtillanteis excipit undas,
uæ vel inextinctas ſedent poſt funera flammas.
s quicunque pareis ſenſiſti forte favillas
oſpes, & iſta legis, dic, Molliter oſſa quieſcant,
ullaque ſentiſcant oneroſæ pondera terræ.

pitaphium Michaëlis cuiuſdam ſenis, argillâ à Secundo effigiati.

QVem cernis, numeroſâ unus de plebe Michaël,
Extremo in vico pueros elementa docebam:
ſuper, ædilis complureis pervigil annos
cram Chriſtiparæ ſervabam Virginis ædem.
notam ignotus duxi ſine crimine vitam.
um prope tricenos ageret ter Cynthius orbeis
notus moriturus eram; ſed noluit illud
uiſquis erat plaſtes, noſtri ſtudioſus opinor,

Qui

Qui vultus formam rari miratus, & ausus
Tentare ignotam digitis renuentibus artem,
Os, oculos, frontem, nasum, rugasq́; senileis,
Assuetosque habitus, argillâ duxit ab udâ,
Meq́; heic spectandum seclo posuit venturo,
Exemplum viridis, bene portatæq; senectæ.
At tu qui transis, dic saltem, Molliter huius
Ossa cubent, nullaque gravi tellure premantur.

Epitaphium Menelai cuiusdam.

INter opus medium lascivâ morte solutus,
Heic situs est, & init iam Menelaus humum:
Qui blandæ Veneri vitæ sacraverat annos,
Haud aliter vitam ponere dignus erat.

Epitaphium Henrici Duystij Delfensis.

HVnc tumulum gnati charo posuêre parenti,
Pro patrijs curis, pro dulci munere lucis,
Lugubreisque notas tristi inscripsêre sepulchro.
Hoc tumulo Henricus servat sua Duystius ossa,
Illum flent quicunque colunt iustumque piumque,
Delfica præcipuè tellus, primordia vitæ
Quæ dedit, officiumque experta est cuius abundè.
Sed longè ante alios illum deplorat egena
Turba hominum, illius nutriti largiter ære.
Viventûm namque is iuxta vitæque sequentum
Prospiciens hominum, quos indiga fata morantur,
Corpora multa suis opibus per secula pavit.

Illum

llum igitur Rex cœlicolûm, pro talibus actis,
elicem vocet ad nitidi templa ardua cœli:
ax vbi læta habitat nullis obnoxia curis.

pitaphium clariſsimæ Matronæ Franciſcæ ab Haro, Vxoris Maximiliani Tranſſylvani.

HOc ſaxo Franciſca tegor, quæ ſtemmatis Hari
Coniugio felix Maxmiliane tuo
ranſſylvane fui, potui cui nupta placere.
Quis fuerit genitor quæris? Iberus erat.
elga fuit genitrix, luſtris vix quinque peractis
Egit in ignotas me fera Parca vias.

Aliud.

HEus, Hoſpes, heus, qui negligenter præteris
(Sortis memor fortaſſe non ſatis tuæ)
oca hæc ſopori deſtinata mortuûm,
ta, donec heic quæ dormiat cognoveris,
ranciſca claris clarior parentibus,
irtute, caſtitate, moribus probis,
oniſque quæ verè beant clariſsima,
ormam cui ſuæ parem dederat Venus,
errâ ſub iſtâ, neſcio quid pulveris
Habet vetuſti, & obſoleti & putridi.
Heu Fata ſævis ſæviora tigribus,
Num ſic decebat, obſecro vos, vt priùs
Quàm ſe videret vivere, & luſtrum ſatis

Quin-

Quintum peregisset, nigrantem regiam
Proserpinæ subiret intractabilis,
Illa illa longis digna seclis vivere?
Et nunc maritus heu misellus in toro
Vacuo gemens, lugensque, & incusans Deos,
Frustra suam desideraret turturem.

In obitum ornatissimi adolescentis Caroli Succqueti Flandri, Iurisconsulti eximij, Nænia

TRistia defleram mendacis nuncia fati,
Succqueti miseram quæ retulere necem,
Idem veracis deflebo nuncia fati,
Dij facerent, labor hic vanus, vt ille, foret:
Et nostras iterum damnaret fama querelas,
Iret & in iustos irrita charta rogos:
Sed nimiùm veris rumoribus omnia constant,
Si qua venit toties fama, timenda venit.
Dic puer, anne aliquis lætum perscripsit acerbum?
Et si aliquis, quisnam? dic age, quoque modo?
Littera lugubris Taurinâ venit ab vrbe,
Ah dolor, & fidæ sunt quoque signa manus.
Quisquis es, ô, vellem scriptor mendacior esses:
Hoc melius, quàm quòd sic moreretur, erat,
Sic moreretur amor Charitumq;, novēq; dearum,
Astrææ veteris sic moreretur amor,
Iret & in cineres, tabumque liquesceret atrum,
Quo nihil in vitam venit amabilius:

Sen

eu circumfusæ sublimia iura catervæ
Dictaret, celsâ conspicuus cathedrâ :
Nobile seu caneret facili testudine carmen,
Sive puellareis duceret arte choros :
ive suos inter dulcis conviva sodaleis
Mulceret varijs fata propinqua modis.
rgo fatali lex hæc rata stat decreto ,
Serviat ut nulli vita fugax domino :
ed modò præripiat quem vix concesserat usum ,
Lenta modò effœto in corpore desideat.
ic vivunt homines quos ægra senecta fatigat ,
Improba nec possunt per sua vota mori?
ic Sucquete iaces, & dulci florida vere
Membra superiectâ nempe teguntur humo?
Qualia, cùm rigido pede conculcantur arantis,
Lilia fœdantur quo viguêre solo.
Nec frater muto persolvit iusta sepulcro ,
Nec soror, effusas præsecuitq; comas :
Nec longè antè alios infelicißima mater
Lenivit morbi tædia longa tui :
t cùm supremæ tetigit confinia metæ ,
Ore suo vitam carpsit ab ore tuo ,
uminaq; occlusit longo damnata sopore,
Et dixit morti, cur mihi tarda venis?
unc tempestivè poteram migrare sub umbras
Charus adhuc natus cum mihi salvus erat.
lle suis manibus nostros clausisset ocellos,
Rorasset lacrymis & mea busta suis :

Mollibus & violis ſparſiſſet triſte feretrum,
Dixiſſet cineri verba ſuprema meo.
Talia non queſta eſt genitrix in funere mœſto ,
Multa ſed ijs queritur nunc graviora tamen.
Et vellet partus bona non ſenſiſſe beati ,
Et vellet nato iam caruiſſe diu :
Et mallet cœlebs, vt non foret orba, fuiſſe :
Nam mala reſpectu ſunt graviora boni.
Te quoque credibile eſt opulentas, Flandria, glebas
Reſperſiſſe vagi fluctibus Oceani ,
Vt fleres longè venerandi funus alumni ,
Tollere qui poterat nomen in aſtra tuum.
Mitte malas lacrymas, iam nunc tibi nomen ab illo
Flandria, pars melior quâ patet orbis, habes.
Tu modò, tu iuveni vacuum compone ſepulcrum,
In patriam Maneis & revocato pios.
At tumulo in viridi, quam vivo læta parabas,
Effundas caſtas laurus opaca comas :
Taleq́, perpetuâ cæletur carmen in vrnâ:
Colle ſub hoc nullus membra ſepultus habet.
Hunc tibi vel tumulum poſuit Sucquete vel aram
Carole , ſat felix Flandria te genito,
Gentibus Alpinis mortis conceſſit honorem :
Quiſquis es, in longis diſce pericla vijs.

Epita-

Epitaphium Lucij Tabellarij , in viâ ab latronibus occisi.

ET tumuli, & mortis sedem sortitus eandem,
Hac situs est, moriens quam rubefecit, humo
Luncius infelix, vitâ spoliatus & auro.
Securum vacuus carpe Viator iter.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI

Epitaphium.

DEfunctus vitâ, longiq; laboribus ævi,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo.
Quem licet in serâ rapuerunt fata senectâ,
Et vitæ saturum sopijt alta quies:
Nos tamen hunc, velut immaturo funere raptum,
Flemus, & effusis diffluimus lachrymis.
Ille igitur perijt! & quondam illa illa diserta
Et dulci manans nectare lingua tacet!
Ingeniumq; sagax, & amor virtutis, & æqui,
Omnia sub parvo condita sunt tumulo.
Illum igitur canos Virtus lacerata capillos,
Et Charites lugent, luget & ipsa Fides.
Collectasq; rosas Permessi ad flumina, Nymphæ
Inspargunt sacro Pierides tumulo.

Epitaphium Nicolai Hacquini, Iuriſconſulti, Henrici VIII Anglorum Regis ad Carolum V. Imp. Legati.

MIſſus ad occiduos regis legatus Iberos,
Cuius cærulei venerantur ſceptra Britanni
Sicne iaces, ſiccâ Arragonum tumulatus arenâ,
Quâ Barbaſtra vetus, rapido iacet accola Cingæ,
Hacquine? & legum ſtudijs & divite præſtans
Eloquio, Regiſque decus patriæq́; remotæ?
At tibi Rex reditum incolumẽ, dulceiſq́; tuorum
Amplexus, ſenioq́; tuo tranquilla parabat
Otia, nec meritos non adijciebat honores,
Auratoq́; pedo dextram, mitrâq́; capillum
Exornans, ſed Fata deos ſuperantia reges
Vota caduca tua & domini fregêre potentis:
Totq́; tibi exhauſtos terraq́; marique labores,
Et ſtudia, & varias arteis, & inutile nomen,
Omnia tam parvo clauſerunt dura ſepulchro.
Eſt tamen eſt aliquid quod inertia buſta relinquẽs
Aethereas longè vivax prorumpet in auras,
Evectum niveis Famæ per inania pennis.
Atque aliquis veniens longinquis hoſpes ab oris,
Marmor ab extremâ clarum venerabitur umbrâ,
Et dicet lachrymans, Heu non tibi debita tellus
Iſta fuit, teneriſque roſis miſcebit amomum,
Et nigras urnæ violas & lilia fundet,
Mânibus & longam optabit cinerique quietem.

LECTORI S.

QVæ proximè ſequuntur, omnia nunc primùm LIBRO FVNERVM accedunt, deſcripta ex Chirographo antiquo; ita vt de fide dubitari non poſsit. Olim hæc in Editione principe Vltraiectinâ, cum nonnullis alijs (quæ ſuis locis deliter quoque exhibuimus) ſtudio fuerunt prætermiſſa, quòd Principes quoſdam acerbiùs dicta viderentur. Ex his apparet æniam, ſive Monodiam in mortem Thomæ Mori perperam D. raſmo, & Dialogum Epitaphium inſipidè I. Sapido tribui. Cùm men Gyraldus in Hiſtoriâ Poetarum noſtri temporis diſertè eius uctorem Secundum faciat. Lege hîc, ſi lubet, N. Nicolaij fraris Epiſtolam ad Hieronymum Vidam. Cæterùm ſcito Monodiam ongè auctiorem à nobis hîc dari, quàm aut à G. Gripio in editione alterâ Pariſienſi, aut umquam alibi publicata eſt. Vtere, & ale. cIↃ IↃ c XVIII.

EPITAPHIVM

Franciſci Valeſij, Regis Franciſci F. Delphini Franciæ.

IN ſpem nutritus regni Franciſce potentis,
Sæva Deos contra dum parat arma pater,
Occidis, heu, primo pubeſcens flore Iuventæ:
Et te, cum vitâ, ſpes tua deſeruit.
Fortunate puer, non ſigna hoſtilia cernes,
Et poſita in victo Martia caſtra ſolo:
Cùm magnus Cæſar, victor terrâque marique,
Vaſtabit forti Gallica regna manu.
Iſta manent patrem, quẽ ultricia fata reſervant,
Ipſe malis poſſit vt ſupereſſe ſuis.

Thomæ Mori Epitaphium.

Inter Hoſpitem & Civem dialogus.

H. *QVis iacet heic truncus? cuius caput enſe re-*
ciſum eſt?
Quæ natat in tetro ſanguine canicies?
C. *Hic ille eſt Thomas Morus. ſic fata rependunt*
Triſtia multa bonis, & bona multa malis.
Quæ circumſiſtunt Divæ lugubre cadaver?
H. *Diva tenax veri, ſancta Fides, Nemeſis:*
C. *Quarũ prima fuit cauſa, & fuit altera, mortis;*
Vltrix iniuſtæ tertia cædis erit.

Aliud.

AD Styga cùm Mori veniſſet flebilis umbra,
Pallidulum largo ſparſa cruore caput,
Portitor ingemuit, trux Cerberus ora repreſsit,
Perſephone ſalſis immaduit lachrymis.
Et, quem Rex leto infami damnarat adulter,
Abſolvit Stygÿ Iudicis urna reum.
Illum rex Erebi, pro conſtanti probitate,
Addidit infernis Iudicibus ſocium:
Cædis vt authorem; fuerit cùm morte peremptus,
Addicat diris ſupplicÿs meritum.
Vivẽtem interea infeſtet torva vmbra Tyrannum
Semper, & ante oculos ſanguinolenta volet.

Et

Et vos Eumenides, ſparſis per colla colubris,
Illius vltrices tendite in ora faces.

Nænia, in mortem eiuſdem.

EXtinctum flemus crudeli funere Morum,
Et Regem immanē,Venerēq; cruore madētem,
Fortunæque viceis , & læſæ pellicis iram.
Vos mihi Pierides feralia carmina Muſæ
Dictate, & mecum vatem lugete peremptum ,
Inſignem cytharâ ; qui vos perſæpe ſolebat
Vertice ab Aonio molli deducere verſu.
Tuque adeo mihi Calliope, quæ regia facta,
Et caſus miſerorum hominum cantare perita es,
Nec cædeis exhorreſcis memorare cruentas,
Dextera ades ; Tu verò Erato , tu blanda Thalia,
Truncatum interea tumulo componite corpus,
Exequias celebrate, aſpargite floribus urnam ,
Et tumulo caſtos aſpiret laurus odores ,
Sacrum laurigeri vatis complexa ſepulchrum.
Te quoque deflerem Divûm venerāde ſacerdos,
Roſſenſis præſul populi, qui dura ſubiſti
Fata prior, ſanctâ pro relligione tuendâ :
Sed vatem canimus vates; tua maxima facta
Vulgabunt alij , & præclara volumina condent ,
Attollentque tuum ſuper aurea ſidera nomen.
Tempus erat mundi cùm iam advētante ruinâ,
Occideret ſenio iuſtum,& labefacta Deorum

Relligio caderet, tot ſuſtentata per annos,
Mortaleſque fidem totâ de mente fugaßent:
At dolus, & faſtus, cumque impietate libido,
Ambitioque, & livor edax, fulvi & ſitis auri,
Graßantes latè, quà Sol ſublimis utrumque
Aſpicit Oceanum, geminas quâque aſpicit Arctos,
Miſcebantque profana ſacris, & ſacra profanis.
Tum Furiæ ex imis Erebi emersêre tenebris,
Sanguineas capitum quatientes undique criſtas,
Armatæ facibus, Phlegetonteoque veneno.
Nec mora, cæruleos ſubitò petiêre Britannos,
Fatorum gnaræ, tempus namque adfore norant,
Cùm rex Henricus, deſpreto coniugis uſu,
In vetitos rueret thalamos famoſus adulter,
Atque alias tædas, alios celebrans Hymenæos,
Mentis inops, regni indotatam in parte locaret,
Vilem animam, & nullo maiorum ſtēmate fultam:
At Regina prior, thalamis eiecta maritis,
Ingratum in lachrymis & luctu duceret ævum;
Illa quidem magni de ſanguine Ferdinandi,
Primus qui Mauros regnis exegit avitis,
Quo nunquam Heſperiâ regnaſſet maior in orâ,
Ni ſua progenies, maiori numine, Cæſar,
Mundi ſceptra tenens, titulos ſuperaſſet avorum.
At poſtquam diræ ſubierunt regia tecta
Eumenides, tremuit tellus, & conſcius æther
Horruit, Oceanus pater, & circùmflua Tethys
Imis delituêre vadis: Rex ipſe, maritus

Iam

Iam novus, in primis & adhuc cõplexibus hærẽs,
Extimuit facti pœnas, iramq́; Deorum.
Illæ autem vt vidêre novos celebrari Hymenæos,
Gaudebant pariter Diræ, paríterq́; dolebant:
Crimine gaudebant, sed non authoribus ipsis.
Patratum doluêre nefas, nimiumque potentem
Et Venerem, & volucris tela indignãtur Amoris.
Ergo aliud meditantur opus, dirumque frementes,
Pellicis insinuant atrum in præcordia virus,
Et stolido Regi eripiunt mentemque animumque.
Ille scelus firmare suum maioribus ausis
Enitens, sceleri scelus adijcit, & contemptis
Pontificis summi monitis, (quibus ille iubebat
Eijceret mœcham, thalamique in iura vocaret
Legitimam uxorem, solitoque ornaret honore)
Ipse sibi ius Pontificis, nomenque sacratum,
Quàm latè sua regna patent, usurpat, & omnem
Sacrilegus veterem convellit relligionem;
Et graviùs peccat, vt non peccasse putetur.
Egregia interea Pellex quæ gaudia sentit?
In quorum iugulos miserum non armat amantem?
Præcipuè, si quos probitas suspecta, & honesti
Prodit amor; More infelix, sic te tua virtus
Perdidit? ô, ævi scelus atque infamia nostri.
Tu regni decus, & Regi charissimus idem
Consultor fueras, nec iudex æquior alter
Iura dabat, heu qua pensant mercede laborem
Fata tibi? póteras illæsam ducere vitam,

Sed minùs esse probus. Vitæ quàm dura relicta
Conditio fuit insonti? si vera professus,
Fatalem exciperet canâ cervice securim:
Sin vitam falsâ vellet ratione tueri,
Applaudens stupris, infandæq; ambitioni,
Pollueret moresq; suos, vitamq; priorem,
Offensamq; hominis, mutaret numinis ira.
Ille autem, iustiq; tenax, cultorq; Deorum,
Sponte suâ ferro caput obtulit, & procumbens
Purpureum sacro fudit de pectore rivum.
Fortunate senex animi, tibi regia cæli
Tota patet, tibi rex Superûm victricia serta
Porrigit ipse manu, magno applaudente Senatu
Cælicolûm, & volucres recinunt pæana ministri,
Omnes intonsi, niveis in vestibus omnes;
Quales ad vitreum Mæandri flumen olores
Mille volant, plauduntq; alis, & dulce canentes
Cæruleum nitidis prætexunt æthera pennis.
Quis tibi tum sensus, mœstissima Margarite,
Nata patris miseri? quanto tua lumina fletu
Vndabant! quantos, eheu, de pectore anhelo
Ducebas gemitus, corpus cùm flebile patris
Exanimum aspiceres indignâ cæde perempti?
Nam te credibile est, quamquã patris inclyta facta
Aeternam tibi conciliant famamq; decusq;,
Non potuisse oculos compescere tempore in illo,
Quin durum fleres casum, patrisque cruorem
Ablueres lachrymis, & circumfusa cadaver
Oscula

Oſcula pallidulo ferres moribunda parenti.
Tu tamen has aufer tenero de pectore curas,
Nec lachrymis corrumpe tuos, pulcherrima, vultus.
Sic te Phœbus amet, ſic, ô, doctiſsima virgo,
Adijciat numero te Calliopea Sororum.
Interea truncum iacet & ſine nomine corpus,
Spectaclum populo dirum: at polluta cruore
Canicies, ne quid ſceleris reſtaret inauſum,
Neu tantos ætas neſciret ſera furores,
Præfixa infami ſpectanda exponitur haſtâ:
Deformata tamen primùm ferventibus undis,
Duceret informeis donec cutis aſpera rugas,
Labraq́; in horrendos traherentur lurida rictus:
Ne, quod Roffenſi acciderat, ſuffuſa rubore
Mortua vitalem præferrent ora colorem:
Turbarentque pium rurſus miracula vulgus.
Hocne tuæ Veneri, Rex ô incœſte, trophæum
Erigis? & mollem placari ſanguine Divam
Poſſe putas? iras in te convertet acerbas
Ipſa Venus, vindexque tuos ſubvertet amores:
Atque alijs iterum, atque alijs tua pectora flãmmis
Vret, vt infamis veniant tibi tædia vitæ.
Tunc, memor indignæ cædis, tua noxia facta
Flebis, & invisâ ſumes de pellice pœnas.
Pellæus iuvenis furijs agitatus, & irâ
Incandens, multoque animum inflãmatus Iaccho,
Dilectum ante alios inter convivia Clitum
Transfodit ferro, & reſparſit ſanguine menſas:

At poſt-

At poſtquam furor ille animi diſcuſſus, & omnis
Conſumptus vini vapor eſt, mentemque recepit,
Ipſe manus inferre ſibi, ſociumque per umbras
Velle ſequi, & miſeros incaſſum fundere queſtus.
Treiſque adeo mæſtus ſoleis, totidẽ quoque nocteis
Exegit lachrymans, luctu confuſus acerbo
Nequicquã; neque enim luctu revocantur acerbo
Pallentes animæ, quas per vada languida vexit
Portitor, atque avido traiectos tradidit Orco.
Tu quoque dilectum fruſtra plorabis amicum,
Cùm tibi diſcuſſo mens pura redibit amore.
Interea horrificâ rumpet tua ſomnia formâ
Vmbra viri, multoque caput fœdata cruore,
Quo te cunque feres, dira occurſabit imago,
Supplicium ſævis expoſcens horrida factis.
Namque tuis donec regnis exutus, & exul,
Extremã implorabis opem, rerum omnium egenus,
Morus inultus erit. nulla eſt violentia longa:
Vindictæque moram pœnâ graviore rependunt
Numina, Iuſticiam quorum haud effugerit ullus.
At nos æternum tua triſtia funera, More,
Inſolabiliter deflebimus; ô, bone vates,
Tu mortem, ſanctâ pro relligione, ſubiſti
Crudelem. tibi divinos pro talibus auſis
Mortales debent cultus, tibi templa, tibi aras.
Aeternum venerande Senex ſalveque, valeque,
Seu colis Elyſium, ſeu cæli lucida templa;
Accipe & hunc noſtrum non durâ fronte laborem.

Epita-

Epitaphium Catharinæ Reginæ Angliæ.

Illa ego, quæ poteram Regi placuisse marito,
Et formâ, & castis moribus, & genere,
Postquam me thalamis exclusit adultera pactis,
Emorior, solo funere grata viro.

LECTORI S.

OPportunè his subijcietur Elegia Poëtæ Itali, Francisci Marij Molsæ, Mutinensis, velut Epistola Reginæ Catharinæ nomine scripta ad maritum Henricum VIII. Britanniæ Regem, cui aliâ ludicrâ Epistolâ respondet Secundus. Vtramque, quòd huc spectarent, hîc potiùs, quàm in Delicijs Italiæ aut alibi legi voluimus.

Ad Henricum VIII. Regem Angliæ, EPISTOLA.

Catharinæ uxoris repudiatæ nomine conscripta à Fr. Mario Molsa.

Scilicet hoc titulis deerat Rex maxime nostris
Coniugio pactam non tenuisse fidem:
Et, quæ nos sancti vinxerunt fœdera lecti,
Pellicis indigno posthabuisse toro.
Dij bene, longinquis tantum quod sævus in oris
Aggrederis dirâ conditione nefas.
Hæc semota orbi vasto tibi regna recessu,
Cinctaq; dant animos fluctibus arva truces,

Est

Est aliquid, fateor, ventos audire furentes,
Et quæ perpetuò murmura pontus habet.
Larga tui quocunque olim se audacia iactet,
Ingenio similis diceris esse loci.
Non sic Penelopen Ithacâ digressus Vlysses
Abrupto potuit linquere coniugio.
Illum non sævæ mutarunt pocula Circes,
Tristia nec longæ tempora militiæ.
Sed Divûm acceptus mensis, & divite lecto,
Prætulit his vultus Penelopea tuos.
Cúmque olim posset cœlestia templa tenere,
Maluit optato coniugis ore frui.
Affixam saxis patriam sic maximus heros,
Parva lapis quamvis nil nisi nudus erat,
Prætulerat cœlo: longis erroribus actus
Vt posset casto membra levare toro.
At mihi, nescio quæ titulis non æqua maritis,
Subducit lecti dulcia vincla mei.
Possidet & stupro dotalia regna nefando,
Et gerit in gremio commoda nostra suo.
Tu tamen hanc falso prætexens nomine culpam,
Iam famæ narras consuluisse tuæ.
Et fratris mihi sæpe torum, tedasque priores
Obijcis, & vani nomina coniugij:
Cui quondam primis fueram desponsa Hymenæis,
Concordi heu nimium nupta futura domo.
Invidêre meis contraria numina votis:
Numina ad humanas semper avara preces.

Nam

Nam ruit ad tedas properans dum læta iuventus,
Araq́ Corycio fulget odora croco,
Illibata tibi linquens sua gaudia, Manes
Ante diem indigno funere mersus adit.
Sic fratri frater, sic tedis impia flamma,
Sicque toro obrepsit igne micante rogus.
Crede mihi, vanas frustra te vertis ad artes,
Si speras tantum posse latere scelus.
Arbiter ipse orbis Clemens, quo sospite terris
Pax viget, & sancto reddita iura foro,
Criminis admonitus tanti, crudelia dixit
Vota foves nostro terra aliena solo.
Priscorũ & volvens veneranda volumina patrum,
Subscripsit causæ Maximus ille meæ.
Perge pater, sanctíque pius defende pudoris
Vincula, non ulli dissoluënda viro.
Ipse Deûm genitórque, & rerum summa potestas,
Cuius finitimum crederis esse caput,
Hoc ipsum vt strueret, tedas celebrasse iugales
Dicitur, & pictis accubuisse toris:
Pocula cùm pingui mutans Acheloïa musto,
Cessit ab humanâ conditione procul.
Scilicet has leges, æternáque fœdera sanxit,
Antiquata meo vt coniuge nulla forent?
Et quæ compositis laudaverit ipse libellis,
Improbet inconstans, dissimilisque sui?
Illuvies Germana tume, neu cede furori,
Cui, per quem periјt, surgere posse licet.

At non

At non ipſa fori diſcrimina ſæva recuſo.
Iudicis innocuus non timet ora pudor.
Non ego ſortitus vereor, non ferrea iura:
Te Quæſitorem mî licet vrna ferat.
Sed tibi nullus adeſt æquus, te iudice, iudex,
Et præiudicio concidis ipſe tuo.
Poſterior cauſa ſic me iam ſæpe priorem
Arguis: atque artes, deficiuntq́ doli.
Ipſæ etiam, quæ te circumſtant, perfide gentes,
Et populi, latâ quos ditione premis,
Libera ſi detur tantum nunc copia fandi.
Te memorant ſacram conſceleraſſe fidem.
Atque odijs forſan conſurgant vndique iuſtis,
Hiſque tuis animis præmia digna ferant.
Diráque devotum poſcant ad prælia regem,
Aut celeres properent in tua fata manus.
At tu quam præfers, ſævo male ſaucius arcu,
Dum cenſes animo cuncta licere tuo?
Nempe illam, noſtros quæ comere ſueta capillos,
Sæpius abreptâ vulnera ſenſit acu.
Quæ nobis toties liquidis veſtigia lymphis
Permulſit, dura nec ſatis apta manu.
Credita cui fuerat lecti cuſtodia noſtri,
Cùm te non puduit dicier eſſe meum.
Forſitan hîc referas veteres Briſeidos ignes,
Et Telamoniadæ corda ſubacta ducis.
Theſſalus aſt formâ Briſeïdos arſit Achilles,
Et Tecmeſſa toro principe digna fuit.

Altera

Altera divini numeris insignis Homeri,
Nota Sophocleis altera carminibus.
Nunc te quæ moveat facies, quæ gloria morum,
Dispeream, si tu dicere sæve potes.
Sæpe tamen cur sim tibi idonea visa, requiro,
Quàm duris perstes ludificasse modis.
Dúmque memor repeto priscorũ nomina avorum,
Vix capiunt magnos atria longa duces.
Cæsare nil maius dederant pia numina terris,
Huic tamen è nostro est sanguine ductus honos.
Quid tibi nunc magnis referam me regibus ortam?
Aut iactem antiquæ nomina clara domus?
Vna mihi mater titulos Isabella, genusq́,
Vna parit, ceras implet & una graves.
Quæ quondam calathos, telasque exosa Minervæ,
Martia femineâ sustulit arma manu.
Moxq́, suâ fractos sensit sub cuspide reges,
Cæsaq́, captivos terga dedisse viros.
Exuviјs hinc aucta novis, hinc aucta triumphis,
Addidit imperio sceptra superba suo,
Evectæ donec cœli super ardua virtus
Condidit in victo parta sepulcra solo.
Testis Anas, Sicorisq́, vago qua prænatat alveo
Terra potens, fulvi testis & unda Tagi.
I nunc, atque tuos nostris componere reges
Aude: compositis fœmina maior erit:
Imparibus ni forte ferox te in fœdera vinclis
Deceptum quondam nostra venire putes.

Ire per æternos placuit mihi matris honores,
Sim licet ipsa vno Cæsare fulta satis.
Qui tamen es tu, quem nostri sic pœnitet oris,
Congressu vt perstes abstinuisse meo?
Reginam thalamis qui sic excludis? & ipsa
Connubij exagitas iura, fidemq́ premis?
Tecum ego florentes potero sic turpiter annos
Exegisse, doli nec meminisse tui?
Aut ego te in castum polluto corpore florem
Invasisse viri nomine sustineam,
Pellicis vt vano tandem correptus amore
Exultes spolijs impie virgineis?
Ipsaq́ cæruleis sim fabula nota Britannis,
Et vivo vivens sic ferar orba viro.
O mihi terra satis quænam nunc ima dehiscat:
Quodq́ petat summâ hoc fulmen ab arce caput.
Debueram natæ iugulo demissa cruoris
Flumina luminibus supposuisse tuis.
Et patrijs artus sparsos apponere mensis,
Obijcere & sævis viscera nostra lupis.
Sed, quæ nulla tibi est, pietas crudelibus ausis
Obstitit, & sævum dextra refugit opus.
Vestra decent tales animorum pectora motus:
Conveniens nostro est mitior ira solo.
Hæc potius vivat, plenis & nubilis annis
Matris ad exemplum nubere cauta neget.
Nata vides, patrijs genitor te pellere regnis
Nititur: vnde gravis sit tibi inusta nota:

Et ma-

Et matrem fraudare toro, iustisq; Hymenæis,
Heu, nimium turpi victus amore, parat.
Si tamen hic positis mitescat litibus olim,
Sævaq; det rapidis vota ferenda Notis,
Sola tibi, & tantis servatis sedibus hæres
Suscipias tenerâ sceptra regenda manu,
Tu faciles sine lite toros, sine lite Hymenæos
Perpetuo summum carmine posce Iovem:
Maternumque animo repetens persæpe dolorem,
In nostro dicas cuncta timere malo.
Tisiphone crinem brevibus redimita colubris
Intulit ardentes in mea damna faces.
Obscænum & carmen diro ingeminans ululatu,
Tristia connubijs omina fudit avis.
Ipsa sacros ignes devovit pronuba Iuno:
Et mihi fœdifraga est Zona soluta manu.
Vestra tamen superi si numina læsa reposcunt
Errorum pœnas, supplicibusq; favent,
Hæc loca vi quondam Cæsar populatus, & igni,
Sæva iugum doceat æquora vestra pati.
Quódque olim potuere dei tela horrida Iuli,
Dum furit, & medio fulminat ille mari,
Cæruleo ostendat frustra vos fidere ponto,
Latáque nequicquam fluctibus arva tegi.
Cæsaris ista horrent etiam nunc littora nomen,
Quo duce, ni fallor, bis potuere capi.
Ille sibi obiectas ausus transcendere moles
Intentata prius per vada fecit iter.

Et male defensas in prædam fervidus arces
Vertit, & obstantes milite fregit opes.
Sic ventos sprevit virtus Romana furentes,
Et gressum ignotis intulit æquoribus.
At precibus si quis superest locus, & tua possunt
Inflecti blandis pectora dura sonis:
Deiectas hinc natam oculos, hinc aspice matrem,
Nec pigeat tantis ingemuisse malis.
Aeternùm sic læta viris, sic læta puellis,
Tellus subiecto floreat ista mari.
Et mala cuncta ferant per terras irrita venti,
Deprompsit læso quæ mihi corde dolor.
Quod si sola tuo videor non digna cubili,
Et tristi perstas vivere dissidio,
Nec te iura movent, precibus nec flecteris ullis,
Nec furijs obstat filia parva tuis,
Me duce læta tuæ mittantur nuntia genti:
Henricum titulum mortis habere meæ.
Sedibus vtque tuus genitor gestire sub imis
Possit, deque tuis surgere nominibus:
Audiat vxoris spolijs, & cæde superbum,
Pellicis indigno colla dedisse iugo.
Vos vero vltrices mecum properate sorores,
Et miserum diris pellite imaginibus:
Vt neque iam dulci declinet lumina somno,
Nec valeat sanæ mentis habere modum.
Sed flammis cinctæ, quoquo vestigia vertet,
Illuc Tartareâ lumina ferte face.

EPISTO-

EPISTOLA

Ad Catharinam Reginam Angliæ, nomine Regis Henrici VIII conſcripta a Io. Secundo.

SEnſimus, heu, gemitus, & flebile carmen, & irā
Qualem cæruleus non, puto, pontus, habet.
Hei mihi fœmineo quæ ſunt ſatis arma dolori?
Nunc ego cum magno Cæſare bella precor.
Cingite tela caput devotum, cingite flammæ,
Et cava fauce globos æra tonante vomant.
Denſior externo ruat in me miles ab orbe
Laomedonteas quam laceravit opes.
Mille ter hoſtiles impellant lintea venti,
Et mihi perniciem trabs numeroſa vehat.
Omnia fæminêa me lædent mitiùs irâ.
Triſtiùs hac Siculæ nil habet aula Deæ,
Heu, quæcunque meo deſedit pectore cura:
Sive fuit Fatum, ſeu maleſuadus Amor,
Vt, ſpretis thalamis quos tot mihi regna ferebant,
Vincula maluerim pernicioſa ſequi,
Oſcula decerpens fraternis debita labris:
Hæc venit titulis prima ruina meis.
Dire Puer, facibus funeſtis acer & arcu,
Et Dea frondoſum quæ regis Idalium,
Quid me collubuit inceſtis urere flammis?
Dextera cur alibi non fuit iſta potens?

Frigida deserto queritur Catharina cubilì,
Irrorans tepidis lumina fluminibus.
Desine me lachrymis & te, Regina necare:
Mitte, nec in vanis spem tibi pone minis.
Hunc cupis amplecti? cui tela minaris, & igneis?
Huic tu blanditias, deliciasq́ue paras?
Cuius in exitium tacitis non vocibus armas,
Quæq́ue mihi tumidas gens iacet inter aquas?
Quæque iacet circum magno devota Nepoti?
Quæq́ue procul nostrâ de regione manet?
Mirabar Matrem funestam cæde virili:
Desino mirari, plus feritatis habes.
Istius est animi crudeleis volvere motus
Qualibus est ætas vix violata prior.
Immiteis oculos tenero satiare cruore,
Membraque sparsa pio ferre epulanda patrè.
Non ita vicino mihi duruit æquore pectus,
Nec taleis animos dant fera flabra mihi.
Non, tua contemnens, aliena cubilia sector:
Est aliud quod nos arcet ab ore tuo.
Excludunt olim complexibus exoptatis
Germani cineres, tristis & umbra, mei.
Nox erat, & nigrâ velaverat omnia veste,
Hærebam nexis tecum ego brachiolis,
Membraq́ue languidulo reparabam fessa sopore,
Cùm stetit antè oculos pallidus ille meos,
Injiciensque manus, sunt hæc mea gaudia, dixit,
Gaudia fraternâ non bene rapta manu.

Venit in ora color, qualem vix ille gerebat,
Crinis in attonitâ fronte supinus erat.
Da veniam frater, dixi, iuvenilibus ausis,
Et tua iam posthac gaudia solus habe.
Sic te nulla premant onerosæ pondera terræ,
Quaq; frui vivum non voluêre Dei,
Hanc olim sociam tibi dent in valle beatâ,
Tecum perpetuas ducat ibi choreas,
Quâ nemus Eridani per odorum volvitur unda,
Vmbraque sit tædis æmula nulla tuis.
Audijt, & tenueis in ventos cessit imago,
Ex illo vetitus est torus iste mihi.
Sunt aliquid Manes, & curant multa sepulti.
Nunquid Achilleum flebilis ad tumulum
Regia truncatum proiecit filia corpus,
Ferret vt extincto gaudia pacta viro.
Non mihi germani rapieris ad alta sepulchra:
O, liceat terris te superesse diu,
Et tua felici decurrant stamina fuso,
Dum mihi securus te sine somnus eat.

Funeralium Finis.

IOANNIS SECVNDI SYLVAE.

REGINÆ PECVNIÆ Regia.

SCripsit hoc elegans & festivum Poëmation Auctor in Hispania, cum Illustriss. Cardinali Ioanni Taveræ Archiepiscopo Toletano à Latinis Epistolis & Actis esset.

Est via perplexis per longa meatibus antra,
Regia gemmatis quâ panditur aurea valuis
Ingentis Divæ, paribus quæ cum Iove summo
Obtinet auspicijs secti moderamina mundi.
Si qua fides rebus dubijs, iacet orbe sub illo,
Quâ Tagus auriferas voluit rubicundus arenas,
Nidorem fumosque exhalans divitis aulæ
In terras Auguste tuas, ditissime regum
Carole, Telluri pacatæ sidus amicum;
Inque vrbem tractusque tuos, amplissime Præsul
Tavera, ô, decus Hesperiæ, cui cincta recurvis
Mœnia gurgitibus ripisque nitentibus auro
Submisit venerans nuper sublime Toletum;
Divinumque senem præfecit ditibus aris:
Maxima quem Dominum suspirat Roma, Tagoq;
Iampridem Tybris liventibus invidet undis,

Non

Non illuc Phœbus flammis rutilantibus intrat,
Nec cùm prima vehit sopito lumina mundo,
Nec cùm devexo premit arva liquentia curru
Tethyos undisonæ, nec cùm flagrantibus horis
Aethere stat medio. quid enim fulgentia latè
Perpetuis auri radijs & iaspide fulvo
Atria, nativasque faceis iaculante pyropo
Cynthius immisso nequicquam lumine lustret?
Regina in medijs magnæ penetralibus Aulæ,
Aurea tota, sedet solio sublimis in aureo,
Diffundês radiantem omni de corpore flammam:
Qualis erit species, solido si cudat ab auro
Intonsi statuam Phœbi Vulcanus, & ora
Flammigeris cingat radijs, & in igne repostæ
Educat subito candentis pondera massæ.
Hæc est illa, cui famulatur maximus orbis,
Diva potens rerum, domitrixq́; Pecunia fati,
Telluris magnæ Plutiq́; sacerrima proles.
Cuius adorati petierunt sæpe Tyranni
Fœdera, sæpe suas spes damnavêre repulsi
Ex quo Pellæi iuvenis temerarius ardor,
(Credere si fas est, nec fallit cana vetustas,)
Magnanimæ tentavit heræ violare pudorem.
Tempore nam ex illo tacitis nova regna sub antris
Instituit, petijtq́; piæ penetralia Matris:
Tergeminamq́; domum munimine clausit aheno:
Septa procul labyrinthearum ambage viarum.
Prima quidem teritur concursu semita denso,

Virque viro, pede pes urgetur, & omnis eodem
Turba ruit properans, Iuvenumq; Senũq;, Virûmq;,
Antra sonant plausu gradientum, dura gemiscit
Et subsidit humus, repetito saucia passu.
Non tam multa solo bifidis vestigia punctis
Servat arenoso, ditis quæ mille coloni
Læta greges via balanteis in pascua mittit
Sole novo, & totidem saturos in ovilia cogit,
Cùm super Hesperiam lux inclinata recumbit.
At postquã in tenebras ventũ est, & in aspera saxa,
Implicitasque vias; hæret mentisque speique
Orba cohors, pars magna retro indignata refertur:
Pars magnis enixa animis obdurat, iterque
Rumpit anhela, urgens contra Fatumq; Deosque:
Mox defecta malis nigro tabescit in antro
Emoriens, & congestis iter obstruit arctum
Corporibus: pauci nati melioribus astris
Optatos tetigêre locos, Auláque recepti
Ad lumen stupuêre novum, clausique tenebris
Tam longis oculi vix admisêre nitorem
Insolitum, ingentem, latè efflagrante metallo:
Vsque adeo vt multis nebulâ lux illa perenni
Obruerit fractos iucundi luminis orbeis,
Heu frustra ignaris manibus gẽmas, ebur, ostrum,
Auratumque solum dubio pede tentaturis:
Nec formosa Deæ visuris ora serenæ.
Ante fores opus ex auro memorabile sculptũ est,
Auro opus immixtum fulvo, viridiq; smaragdo
Aurea

Aurea dimidiâ fulgent extantia parte
Signa, at planities viridi exæquata smaragdo est.
Ignotæ posuêre manus: sedet ordine primo
Alma parens, aperitque sinum pulcherrima Tellus
Sylvisque, fluvijsque, & floribus interpictum,
Dives opum Cereris, gemmarum dives Iacchi,
Dives & Hesperidum sylvis, passimque coruscis
Incustoditâ pendentibus arbore pomis.
Nec non & fulvo demonstrans vimine ramum
Infernæ Iunonis opes, quæ Troïus heros
Dona ferens Hecate, Maneis penetravit ad imos:
Liberaque ad Superos iterum vestigia vertit.
Tellurem magno circumsonat æquore Nereus,
Et centum liquidæ Nereo genitore Sorores.
Hæ caput attollunt, hæ mergunt gurgite cano,
Pars stringunt madidos adverso sole capillos,
Pars ducunt choreas, & cãdida brachia quassant
In numerum, candent fulvis vada cærula spumis.
Omnibus at longè vasti de finibus orbis
Turbatos maris in fluctus Aquilonibus atris
Flumina labuntur, pellucidiore metallo:
Ante alios liquido Pactolus Lydius igne
Fulminat, ignito Tagus efferuescit, & Hermus
Gurgite, non raris distincti flumen arenis:
Sed puro, per culta auro splendentia fusi.
Non aliter, quam cùm fulvos, Aethnæa per antra,
Mulciber effudit rivos fornace reclusa,
Cùm nova sollicito properaret tela Tonanti,

Vastæ

Vasta Gygantæos disturbatura labores.
Stat iuxta fulgens auro Berecynthius Heros,
Auriculis asini nondum insignitus acutis:
Qualis erat, manibus cùm se tentaverat ipsum
Aurificis, donumq́ Dei damnasset iniquum,
Inclusus, nimium proprio, iam totus in auro.
Ille tamen quondam, sacro se in flumine versans,
Diluit auctoris damnosum munere lucrum.
At manus artificis tali modò sculpsit in auro
Docta Mydam, nullis quod aquis mollescat, vt illic
Aeternùm stolidus spectetur imagine digna.
Stat quoque nunc oculis etiam formidine plenis,
Vix benè sopitum credens recubare draconem,
Vellere Phryxæo rutilans Pagasæus Iason.
Tertius hic etiam, sed longè clarior, astat
Nubila qui rapidis perfringit hiantia flammis,
Attonitas terrens animas reboante tonitru:
Longè illi modò fulmen abest, regalia longè
Sceptra iacent, vultusq́ dei, nec credere posses
Esse Iovem, credi nî vellent omnia vates,
Imperiumq́ suum nullis includere metis
Monstrosus didicisset Amor, cadit aethere ab alto
Iupiter, indomito mentem liquefactus ab æstu:
Perq́ vias intentatas, auroq́ parentem
Custodesq́ auro fallens, auroq́ puellam,
In gremium Danaës flavo descendit in imbre:
Et mollem Dominæ instillat lascivus amorem.
Hæc, vbi regificis celebrat solennia ludis.
Præfigit

Præfigit tria ſigna ſuis Regina triumphis.
Illam autē tollentē animos, atq; alta tuentem,
Aulaï in medio, & ſceptrum regale moventem
Circumſtant variæ dextra levaque figuræ:
Diverſorum gens operum: mirabile viſu.
Hinc furibunda quatit rigidam Bellona bipennem
Avectis dives ſpolijs, & Martius horror
Per fera caſtra fremit, captæque fit vrbis imago.
Arma, tubæ, lituique ſonant, & tympana rauca,
Tinnituque fragor denſus miſcetur acuto.
At parte ex aliâ, nitido placidiſsima vultu
Pax ſedet, aureolum ſpicis evincta capillum,
Palladiâque gerens felicem ex arbore ramum.
E gremio Bacchiq; liquor, varijque coloris
Poma fluunt, Cereriſque fluunt uberrima dona:
Omnia quæ, poſtquam terram tetigêre potentem,
(Admiranda cano) croceum durantur in aurum.
Fortuna antè alios magnum ſibi vendicat illic
Imperium, regnique tenet communia ſceptra:
Inſtabilemque globum gemmis ornavit, & auro:
Proximaq; accubuit Dominæ, quā Gratia circùm,
Ventoſuſque Favor, fallax & Opinio vulgi,
Elatiſque ſupercilijs, vultuque tumenti
Incedens, cœlumq; oculis, & inania captans,
Ducit inauratam veſana ſuperbia pompam:
Læta opibus, formaque, & adulatrice catervâ.
Fortunam contra poſita eſt, & lumine claro
Aſpicit indignantem, & deſpicit æmula Virtus:
Ingenium

Ingenium ſolers, indefeßique Labores
Aßiſtunt, celebri quos ordine mille ſequuntur,
Artes, humanæ ſolatia dulcia vitæ.
Proxima ſepta ſatellitio Regumque Ducumque,
Stat pia Relligio, cultus pertæſa priores,
Barbamque, tritamq; togam, laceraſq; lacernas
Et peram, & Cynicæ gentis monimēta bacillum:
Pro quibus excultos amplexa eſt mitra capillos,
Mitra micans auro, pellucidulíſque lapillis,
Et picturatis collo iacet infula filis
Demiſſa ex humeris, pectuſq;, & brachia, & imos
Palla premit talos auro gravis intertexto.
Heic Leges etiam ſanctæ, & veneranda Senatus
Decreti antiqui, (quis credere poßit & illud?)
Ante pedes Dominæ flexâ cervice recumbunt:
Proq́ levi magnæ nutu rectricis, in omneis
Vertunt ſe facies, & luſu Protea vincunt
Mirifico, ridente Deâ, & tollente cachinnos
Contemptrice ſacri Iuris Legumq́ Rapinâ:
Effera quæ lævâ princeps in parte reſedit,
Auratam chlamydem nigro perfuſa cruore.
Heic Furta, Inſidiæq́ latent, Fraudeſque, Dolique,
Squallida Avaritiæ circum præcordia Matris.
Omnibus his nigrâ caput eſt in nube ſepultum,
Scilicet vt celent vulpini dedecus oris,
Exiguos oculos, roſtrique petacis acumen.
Nec procul hinc, tabulis, loculoque onerata tumēti,
Aurivoros impellit equos, curruque volucri

Præcipitata, rapit celeres Vſura calendas.
Nec Libitina ſuos non heic quoque repperit uſus:
Attollitque rogos, & teſtamenta reſignat.
At circum aurataſque trabeis, aurataque tecta,
Aureaque inſomnes circum laquearia Curæ
Stridenteis agitant pennas, examine longo.
Qualiter, vt fama eſt, Stygiæ per inania ripæ
Palantes volitant animæ, quas aſpera fata,
Indeplorato ſparſis in funere membris,
Sedibus excluſére ſuis, & honore ſepulchri.
Nec minùs interea Riſus, Luſusque, Iocique,
Dulceſque Illecebræ, & iactanteis nuda papillas
Nuda genu, Cyprioque madens à rore Voluptas,
Porticibus currunt longis: Iuvenumque puellis
Mixta ruit ſeries: & mutua gaudia iungunt.
Ipſa ſuis Cytherea præeſt pulcherrima ſacris,
Et puer arcitenens operoſâ ludit in aulâ,
Sæpè choros iuvenum tædâ petulante laceſſens,
Sæpè puellarum ſuccendens pectora flammis.
Spicula quin etiam Dominam molitus in ipſam eſt
Sæpè proterva ferox, & in auro condidit aurum.
Hac tamen in ſolâ fertur damnaſſe caducos
Sæpe Puer plorans arcus, obtuſaque fregit
Tela genu, illiſitque ſolo, pedibuſque tenellis
Calcavit, fruſtraque Venus ſolata dolentem eſt.
Nam proprio, mirum, Regina indulget amori:
Ac facies Iuvenum pictas exoſa, ſenileis
Diligit amplexus, & frigida baſia captat

Vincto-

Vinctorum podagrâ lapidosum corpus, & ævi
Emensi longis ambagibus incurvorum:
Fessa quibus prono subnitens vita bacillo,
Vltima declivis tetigit confinia metæ:
Pulsa procul thalamis mæret formosa iuventus,
Purpureas signata genas lanugine primâ.
Non illos madidi myrrhâ redolente capilli,
Lucida non tereti dictincta monilia collo,
Ebria non Tyrio commendat murice palla,
Tinnulaq; arguto resonantia pollice fila
Phœbææ cytharæ, cantusque, & docta choreïs
Tibia saltandis, & melle fluentia verba.
Si tamen est horum quenquam dignata cubili
Diva suo, felicem illum super omnia, felix
Si tamen esse cupit, naturaque mitis in illo est:
Illi Diva potens secretâ è sede revulsum
Ignotum donat argenti pondus, & auri,
Exemptum curis, purum, & sine labe metallum.
Quod recreet mæstos animos, & turbida mentis
Nubila discutiat, & proclinata iuventæ
Tempora florentis longos extendat in annos:
Vnde Favor surgatq; hominum, surgatq; Deorum,
Et læti Iuvenis felicia facta sequatur
Gratia multa comes, cumq; altis Fama Triumphis.
At verò, numero ex omni, quē maxima servant
Atria, conspicitur vates vix unus, & alter:
Atque illi longè prius abiecêre poëtæ
Squallentem vafri faciem, crineisque Tiaræ
Lauri-

Laurigeros, vel Puniceo texêre galero:
Mentitâque Deam taciti sub imagine fallunt.
O, vatum gens infelix frustraque profani
Contemptrix populi, frustrà nutrita sub antris
Pieriis, frustrà choreïs admissa Dearum,
Lucorum roseïs in vallibus antiquorum,
Si vobis infesta manet Dea maxima, cuius
Concussus sceptro terræ tremit orbis & omnis
Regia turbatæ mugit procul Amphitrites.
Ipse ego, roriferæ per blanda silentia noctis,
Ductus in illustrem longis anfractibus aulam,
Aut vidi, aut vidisse Deam per somnia rebar.
Mox avidis tentabam oculis in imagine blandâ
Hærere, &, si somnus erat, vaga numina somni
Orabam, volucreis aliò ne verteret alas:
Neve quis, optabam, me compellaret amicus
Sopitum, strepituve pedum turbaret iniquo,
Omnia conabar frustra: vix viderat illic,
Et tactum ramo iussit discedere vatem
Regina, imperioque minas adiecit, & iram.
Nec mora, cum Dominâ, cum cunctis Regia gēmis,
Cumque satellitio, cum pondere divitis auri,
Par levibus fumis, tenueis evasit in auras.
Noctisque ante oculos facies inamœna remansit.

EXPOSTVLATIO CVM NEPTVNO, In diluvio quod in Patriâ contigit ANNO M. D. XXX.

SAlsipotens magni frater Neptune Tonantis,
Vndivagos latè campos, & livida regna
Qui data sorte tenes, vitreâ dominator in aulâ,
Quid tantũ Pater alme paras? an secula Pyrrhæ, &
Deucalionæas iterum exspectabimus undas?
Et quærendus erit vacuæ novus incola terræ?
Proh scelus, obruitur tumido Zelandia ponto,
Amplaq; fertilibus spoliatur Flandria terris,
Hollandosque premunt nihilo leviora colonos.
Aggeribus spes nulla manet, prosternitur undis
Dives opum tellus malefidis credita glebis,
Tecta, domus, & mixta suis armenta colonis,
Cumq; pecus pastore fluit, cum pignore mater.
Atque aliquis quem sors fugientẽ exemit aquæ vi
Servatum truculenta fami, vel ab arbore celsâ,
Monte vel aërio spectat seu coniugis ora
Pallida, seu natos, seu si quid charius illis,
Sub pedibus fluitare suis, moriturq; videndo.
Iamque stat æqua mari tellus discrimine nullo,
Apparentque vago turres in gurgite passim,
Quas velut ignotas formidat navita cauteis,
Quasq; colunt pisces, Veneris procul alite pulsâ,
Et quæ quadrupedemq; equitẽ, celeremq; per ævum
Sunt loca passa rotam fluitantibus invia nautis,

Ferre

Ferre ratem discunt, & vela patentia ventis:
Quâque stetit crescens nuper felicibus arvis,
Ardua nunc illac loca per natalia quercus
It, volucrique secat, non sic sibi cognita, cursu.
Sicne pater Neptune, decet? sicne ira Deorum
Sollicitat quoque sæva animos? quæ causa furoris?
Fare, quid innocuam potuisti mergere gentem:
Anne tuos toties mortaleis visere fineis
Non pateris? spolioque maris ditescere vasti?
Inque tibi cessum fatali sorte tridentem
Pridem terrestreis ius usurpare Tyrannos?
At poteras pelago meritâ nece perdere nanteis,
Mortaleisque semel regno prohibere liquenti.
Quid miseri meruêre viri qui vomere terras
Exercent patrias, infames crimine nullo?
Imperio vt, violente, tuo furibundus aquai
Impetus incautos vitâ spoliaret, & agris?
Aut spoliaret agris, vitamque relinqueret ægram
Per lachrymas & per suspiria traducendam?
Quos mihi nũc videor nequicquã multa querẽteis
Cernere, &, heu, surdo iactanteis talia ponto:
O, nimium felicem illum, quicunque colonus
Cum pecore, atque casâ, durique laboribus ævi
Piscibus esca natat, liquido benè funere mersus:
Longa nec annosæ timet infortunia vitæ.
Nos patriis exuti opibus, rerum omnium egeni,
Ignota exilia, & longinquas quærere sedeis,
Vesanamque famem cogemur ferre, sed anne

 Omni-

Omnibus ereptis, diræ violentia sortis
Eripuit quoque posse mori? moriamur: & ultrò
Præcipites animas pelago iactemus avaro.
O, varios hominum casus! ô, cæca futuri
Pectora! quos modò florenteis, opibusque superbos
Viderat exoriens, prostratos vidit Apollo
Oceano tincturus equos: Nunc ite, secundis
Fidite mortales rebus, sortique rotanti.
Non potuit quisquam de tot, quos munere pavit
Vasta suò Tellus, nunquam prece, thure, vel auro
Sic sibi devinctos animos habuisse Deorum,
Vt sibi venturam promittere quiverit horam.

In viciſſitudinem rerum, inſtabilemque Fortunam.

OMnibus horis
Nemo beatus:
Lubrica sors est,
Nescia certâ
Sede morari.
Quum stat in imo
Tendit in altum:
Quum stat in alto
Tendit ad imum,
Phœbe remotas
Pronus in undas
Sidis, & idem
Tramite sueto

Aurea

Aurea notum
Plaustra retorques
Gratus ad ortum.
Per te vbi lætis
Candida terris
Reddita lux est,
Proxima furvis
Torva tenebris
Nox manet ægrum
Scilicet orbem:
Quæ simul atque
Ingruit, uno
Cuncta colore
Turbida miscens,
Aëra, sylvas,
Flumina, ripas,
Prædia, colleis,
Iam meditatur
Ferre soporis
Lumina terris,
Vecta coruscis
Nuncia Phœbi Au-
rora quadrigis.
Bruma vbi nigris
Horrida ventis,
Abstulit omneis
Vndique flores,
Abstulit agris

Gramina calvis,
Misit iniquas
Dira pruinas,
Reddidit altis
Montibus æquas
Grandine valleis,
Et glacialem
Marmore texit
Frigida pontum,
Dulce redit Ver,
Et redit AEstas
Tincta virenteis
Rore capillos,
Cincta caducis
Tempora spicis:
Restituitque
Flamine molli
Gramina campis,
Et spoliatis
Reddere gaudet
Tegmina sylvis.
Sedula pictos
Ornat apricis
Floribus hortos:
Scilicet vt sit
Quod fera rursum
Perdere possit
Bruma revertens.

Quum Zephyri flant,
Quumque sereno
Turbida movit
Nubila cœlo
Clarus Apollo:
Iam Boreas, iam
Iamque protervus
Auster, Orionque
Imminet udus.
Perpetuum nil.
Cuncta recurrunt
Ordine certo.
Gaudia luctus
Occupat amens:
Seq́ superbis
Funera miscent
Sæva triumphis.

ECHO.

Colloquuntur Viator & Echo.

O, *quæ Diva cavos colis recessus,*
Sylvarumq́ regis domos opacas,
Tu quæ de reliquis Deabus una
Quas frondesq́ iuvant, iuvantq́ fontes,
Audiris toties, vidêre nunquam:
Dic, quæ finis erit meo calori
Imas qui mihi devorat medullas?
Vt, formosa tuas voravit olim

Superbo è Pueri decentis ore,
Inflatum revoluta quum iaceres
Languens umbra, superstitemque sola
Vitam voce brevis teneret aura.
Dic: nam fortè libet meas querelas
Audire, & veteres novare curas.
Dic, oro, poterit quid impotenti
Seros ponere limites amori?
Echo. *Mori.* Viator. *Dÿ meliora, sicne nobis*
Ad canos igitur dies manebunt,
Et canos quoque non dies relinquent
Singultus, lachrymæ, gravesque voces?
Aut mox abÿcienda prima vita est?
Echo. *Ita est.* Viat. *At licet ire perque genteis,*
Perque undas, vbi nulla me sequatur
Sublati ex oculis Amoris ala.
Non illic Dominæ procul relictæ
Mentem sidereæ faces perurent.
Echo. *Vrent.* Viat. *Non roseum os, genæq; tãgent.*
Echo. *Angent.* Viat. *Sed dolor hic levis, brevisq;,*
Fomento citò destitutus omni
Sese conficiet, negante vel te.
Echo. *Ante vel te.* Vi. *Adeò ne amarũ amare est?*
Ech. *Mare est.* Via. *Hei mihi, quicquid est malorũ*
Admittit medicas amatque curas,
Nullâ solus amor levatur arte,
Non cantu perit, aut perit venenis,
Spernit consilium fidele, spernit

Quicquid

Quicquid mens bene ſuada prodit. Echo. *Odit.*
Viat. *O, ne, ne mihi talium dolorum*
Senſus ter miſero ſuperſit ullus,
Quàm mallem media ſtupere ſylvâ,
Duræ cortice membra tectus orni,
Quâ Caurus mihi, quâ protervus Auſter
Nequidquam, Boreaſque ſpiritoſus
Hinc illinc quatiantque vellicentque
Amoto querulas dolore frondeis:
Aut tecum in liquidas abire voces:
Per ſylvaſque volare, perque valleis.
Saltem læta ſonare tunc ſubinde
Poſſem, quum facili fruens amore
Felices caneret viator igneis,
Nec ſemper grave diceremus, heu! Echo. *Heu!*

ORPHEVS.

Ecloga.

O*Rphea Threïcium Lycidas, patrē Orphea vatū,*
Amiſſâ viduum bis coniuge, ſola per antra
Mærentem, voceſque trahentem pectore ab imo
Feraleis, & fracta gravi nemora avia queſtu
Infelix cecinit deſertis Paſtor ab antris,
Formoſi pecoris, lanæque oblitus, & herbæ
Surgentis vario per mollia prata colore,
Et canis, & mulctræ, ſed non oblitus amorum,

Quos illi, placidis aſſueto ſemper in agris
Nympharum cupidis amplexibus indulgere,
Moverat, heu, glaucisque oculis flavoque capillo,
Aſtuque faſtuque valens urbana Neæra,
Intactam Veneris præcellens alba columbam,
Et canum Veneris florem, gelidæque Pyrenes
Vicinas candore niveis & frigore vincens,
Et cannis Pueri & magno malè digna furore.
Illum deſerti montes, & frigida ſaxa,
Montibus & qui diſertis, gelidiſque feroces
In ſaxis ſtabulant urſi gemuêre gementem,
Getulæque procul ſuſpiravêre leænæ,
Notaque nutarunt intonſæ ad carmina quercus,
Annoſæ quercus, & luctiferæ cupreſſi
Lugentem circumſtabant: aſt optima mater
Ad triſteis excita modos, ſtupuitque ſonantem
Calliope, dixitque meis num forſitan iſtis
Natus ineſt ſylvis? & bis remeare ſub auras
Evaluit? Ditemque novo modulamine vicit?
Tergeminique canis compeſcuit ora canendo
En iterum? nec plura, ruens petit oſcula falſi
Infelix nati: mox ſpe deiecta, ſuavè
Erubuit: tamen & vero ſe iunxit, & vnà
Divinam citharam digitis tentavit eburnis,
Mæſtaque ſuffecit lachrymas, & verba canenti.
Ergo, quum fugeres iuvenē, caſtiſsima coniunx,
Veſanum viruſque invito afflaret ab ore
Tabificus ſerpens, non ſufficiebat ad Orcum

Ire ſemel? vitamque tuis exolvere fatis
Innocuam? aut lachrymas impendi in funere parcas
Chara tuo? niſi te, niſi te, chariſſima coniunx,
Ipſe retorquerem ſub iniqui iura tyranni?
Lethiferis demens oculis luctumque pararem
Ipſe alium ſine fine mihi? me mitior anguis
Ille fuit, diri tantùm malus vltor amoris
Ereptam celeri te reddidit ille marito:
Ipſe ego te mihi te rapui, tu flebilis inter
Excidis amplexus: damnoſaque lumina longè
Rapta fugis: quò dulcis abis? iam te negat ipſe
Portitor illachrymans iterum tranſmittere cymbâ.
Rex Erebi dolet ipſe, dolet regina profundi
Commiſerans, legeſque infracti Coniugis odit:
Quæque meo primùm concuſſæ pectora cantu,
Ardentes oculis tenui ſparsêre liquore
Eumenidum guttis maioribus ora gravantur.
Tu verò neque me damnas, neq; fata remordēt
Te tua, nec velles niſi ſic aſpecta reverti:
Tota ſed in curas viduati coniugis acreis
Intendis luctus: me me in ſuſpiria, me me
In lachrymas decet ire, animamq; afflare nocentē:
Te nemus Elyſium foveat, tibi mollior aura
Conſumat lachrymas: te nullo vulnere tardam
Ad choreas Nymphæ vocitent, ducantq; vagantem
Securo per prata pede, quâ nullus in herba
Anguis odoratâ liventi ſibilat ore.
Nos vitam in tenebris ægrā luctuq; trahamus,
Quā

Quâ non ulla pedes humanos semita ducat.
Ad glacialem Hebrum, deserti in rupibus Hæmi,
Mecũ vndæ, mecũ antra gemãt: mea plectra sequutæ
Orniq; piceæq; fleant, & largius aureas
Infami lachrymas diffundat ab arbore Myrrha.
Phœbe pater, si non falsos mihi narrat amores
Calliope, sume hanc citharam, mihi tensa remissæ
Deficiunt ad fila manus: tu polluce luctum
Elice de fidibus, qualem Peneïa Daphne
Cortice tecta novo, trunco exaudivit ab imo
Damnavitq; suos nutanti vertice fastus:
Qualem, labenti superingeminans Cyparisso.
Pro Puero ramis lugubribus inclinatus,
Oscula fixisti ligno suprema dolenti:
Qualem effundebas funesti in crimina Disci,
Optima quum tellus, generoso fœta cruore,
Ad tua purpureum submisit basia florem,
Dilectum florem, pro dilecto Hyacyntho.
Eurydice, miseri Eurydice misera vxor amãtis,
Cur me tentantem Stygiæ vada vasta paludis
Non niger absorpsit violento vortice fluctus?
Cur me tam mites spectastis Erinnyes? & tu
Formidatarum custos ignave viarum,
Depositâ triplicis ieiunâ gutturis irâ,
Ad mea ludebas blandâ vestigia caudâ?
Vestrum erat hoc raptare caput, membrisq; revulsis
Per Phlegethontheas audacem spargere flammas
Artificem: eluctatus in aêra spiritus isset,
Cumq;

Cumq; umbrâ tenuis se confudisset amatâ
Eurydices, tutòque suos vidisset amores.
Heu, quis me citharæ tam blandum fila movêre?
Quis Deus edocuit tam molli carmine Ditem
Demulcere trucem? serpenticomasq; Sorores
Ad lacrymas vrgere novas? tunc stridere raucùm
Debebant, domino non agnoscenda canoro
Stamina, & in medio vox intercepta palato
Succidere: heu, gravis arte meâ mihi luctus inundat.
Mitis eras igitur Pluto, vt crudelior esses?
Fallacemque meo velares crimine culpam?
At non te, Siculo nuper de littore curru
Præpete quum fugeres, in dulcem vertere prædam
Sollicitos oculos vetuisset conscia mater.
Hei, duras Fati leges! semperque caducas
Spes hominum pugnante Deo! qui corda ferarum,
Qui domui silices, proprios compescere motus
Non valui, occultumq; Deæ Cythereïdos ignem.
Ergo pro charâ suspiria anhela maritâ,
Pallorē exanguem, maciem, horroremq; tremētem,
Et Furias comites infernâ ab sede reduxi?
Nec potui curas Lethen sopire bibendo?
Abde coloratos auro, Pater, abde iugaleis
Fluctibus Herculeïs, meliùs Nox apta dolori est.
Redde coloratos telluri, redde iugaleis,
Ecce mihi lachrymæ noctem fecêre, dolorq;,
Turgidaq; imbre diem prætexunt lumina denso.
Sic tenerū in sylvis mœret Philomela Nepotem,

Sic So-

Sic Soror in tectis natum deplorat hirundo:
Sic gemit arenti viduatus ab arbore turtur,
Sic nondum lachrymis satiatâ Memnonis umbrâ
Lutea perpetuo stillat Tithonia rore.
Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,
Me tecum, me debueras auferre sub umbras
Præcipitem: vitam nobis mors illa dedisset:
Ipsa Venus iunctos vallem duxisset in illam,
Qua ver perpetuis fœcundat odoribus arva.
Ipse puer Veneris, flammatam lampada quassans,
Discußisset Amor nebulas Acherontis opaci.
Nunc noctem simul invisâ cum luce dedisti
Invide dux Erebi: moriar tamen, en mihi laxis
Genua labant nervis: exanguis serpit in artus
Pollor: & haud multũ, memini, distamus ab umbris,
Mæsta per ignavam quas volvit cymba paludem,
Squallida peioris nanteis confinia ripæ.
Eurydice, misera Eurydice, misera uxor amãtis,
Bis moriens tecum Eurydice bis per Styga traxit
Hanc animam tecumq́; manet pars maxima nostri:
Corpus inane traho tenui vix mobile vento:
Qualem Thessalicis immisto carmine succis
Inspirant animam per frigida membra caducam
Monstrifici vates: aut qualia luce carentum
Instabili simulacra virûm discurrere motu,
Et tenueis miscere sonos & inania vocum
Murmura, solliciti per somnia vana videmus.
Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,

Eurydice, quo me fletu tua fata piare,
Quove iubes gemitu? quid me tolerare cruentum?
Aspice cum scisso laniatas pectore vesteis,
Aspice cum tepido lachrymas certare cruore.
En tibi, damnamus tenebris hæc lumina cæcis,
AEternumq; patris iubar interdicimus illis,
Purpureum iubar, & sub nocte natantia nigrâ
Cogimus admißi lentâ intorpescere pœnâ.
En tibi quod nimio furiatum pectus amore
Intempestivo rupit mea gaudia voto,
Fœmineo nunquam posthac ardore calebit.
Nulla tuum pellex premet importuna cubile
Eurydice, nec primævos avertet amores
Mollibus illecebris Ciconum nurus ulla meorum.
Plura quidem dicturus erat: vicina canenti
Calliope vetuit, Lycidamq; amplexa repreßit.

Dialogus Lucianicus

DORIDIS & GALATEÆ:

Latino carmine redditus.

FOrte Deæ pelagi, ludentes littore curvo,
Captabant radios auree Phœbe tuos:
Heic Thetis, heic Melite, Spio, Panopeaq; virgo,
Cymodoce, Doris, & Galatea fuit:
Qùm Doris ficto Galateam molliter ore
Risit, & arguto strinxit amara ioco.

DORIS.

DORIS.

Scilicet, egregiè tandem formoſus amator
Contigit, ô, felix iam Galatea, tibi!
Nimirum hic Siculus paſtor. proh Numina, qualis!
Deperit, vt paſsim fertur, amore tui.

GALATEA.

Ne ride: qualis qualis tibi Dori videtur,
Neptuno tamen eſt de genitore ſatus:
Neptuno vitreïs latè qui præſidet vndis,
Neptuno, à ſummo qui Ioue prima tenet.

DORIS.

Egregium verò, quòd ſit Neptunia proles.
Eſto, ſit altifremi filius ille Iouis,
Quum tã deformis ſit, agreſtis, & hiſpidus, & quod
Omnibus eſt unum turpius, unoculus.
An verò genus ad formam prodeſſe putabas?
Hoc tibi deformis nomine pulcher erit?

GALATEA.

Imò nec eſt deformis, & id quod dicis obeſſe,
Hoc queat hoc formam nobilitare viri. (ſunt
Quippe quòd agreſtis, quòd & hiſpidus (hæc tua nã
Crimina, ſic libitum eſt hæc vocitare tibi)
Haud deformat eum, verùm magè Dori virile eſt,
Crede decet forteis hiſpida barba viros.

Crede

Porrò oculus mediâ nitidus qui fronte relucet,
Et quem Phœbeæ lampadis instar habet,
Ille etiam decet hunc, hoc cernit certiùs uno,
Quàm si vel duo, vel lumina mille forent.

DORIS.

Tu verò mihi iam Galatea videris habere hunc
Non tibi amatorem, verùm adamare magis:
Vsqueadeò laudas, & quæ contraria formæ
Iam formosa uti sint, atque decora, iubes.

GALATEA.

Haud equidē hunc adamo: tamē ista insignia vestra
Scommata, & insulsos haud queo ferre saleis.
Et planè invidia huc mera vos stimulare videtur
Quòd vos non itidem vt me Polyphemus amat:
Quodque gregē nuper celsâ dum pascit in Aethnâ
Inter lanigeras conspiciendus oveis,
Nosque procul mixtim per littora picta vaganteis
Cernit, vbi pedibus prominet Aethna suis,
Vestrûm non ullam vel solùm aspexit: at ipsa
Visa viro cunctis pulchrior una fui.
Meq́ proinde suo dignatus lumine solam est,
Lumine sidereas exsuperante faceis.
Hæc ea sunt, hæc sunt, quæ pectora vestra remordēt:
Hinc illi risus, illepidiq́ ioci:
Namq́ hæc cuncta docēt me vos præcellere formâ,
Meq́ magis dignam quam Polyphemus amet.

DORIS.

Scilicet, invideam quod tu formosa videris
Lusco? & pastori quod Galatea places?
Quanquam aliud, quæso, potuit quidnã ille probare
Præter candorem, lactea Diva, tuum?
Ille placet, quod lac cibus est & caseus illi:
Quod simile his, pulchrum protinus iste putat.
Tu verò cupis ipsa tuam si noscere formam,
Nec tibi iudicio stulta placere malo,
Pendenti è scopulo, si quando silentibus Austris
Pellucens placidis vnda iacebit aquis,
Temet contemplare, precor, dabit unda colorem
Consimilem lacti, consimilemque nivi.
Atqui nulla quidem facies candore probatur,
Candida purpureis sit nisi tincta notis.

GALATEA.

Atqui ego nacta tamen, quantũvis candida, qualem
Doris amatorem vellet habere sibi.
Nullaque de vobis quam vel miretur agaso est,
Vel pastor, vel quam portitor ullus amet.
Atque alia vt taceam, cantat Polyphemus: in omni
Et calami, & cytharæ, doctus & arte lyræ.

DORIS.

Mitte hæc, Diva precor, cantantẽ audivimus, in te
Pruriret nuper quum malesanus amans.

Verùm,

[V]erũ, ò, sancta Venus, rursum in certamine Phœbũ
Excire obstreperus Marsia visus erat.
[Q]uin ter credideram sylvis audire rudentem
Vicinis asinum, ter Polyphemus erat.
[I]psiusq; lyræ corpus iurare volebam
Cervinum, nudis ossibus, esse caput.
[C]ornua nam exstabant cubiti de more recurvi:
Quis putet heic hominẽ? quis putet esse lyram?
[D]um vero, inductis fidibus, speciosus amator,
Nec iungens sinui barbara monstra lyræ,
[N]escio quid tandem durum & stridebat agreste,
Observant parteis dum lyra voxq; suas:
[S]ic uti non fuerit de cunctis ulla Deabus,
Quæ posset risus aut cohibere iocos.
Quid, quòd & ipsa quidẽ non est dignata boanti
Respondere Echo, garrula nympha licet:
[C]redo, Deam puduit si forte audita fuisset
Reddere stridenteis ridiculosq; sonos.
Quin ulnis ursæ catulam formosus amator
Gestabat, lusus, deliciasq; suas.
[H]irtus erat totus, quo, credo, gratior illi,
Quod similis setis, & feritate fuit.
Quæ tibi non istum talem, Galatea, maritum
Invideat? quæve hunc non velit esse suum.

GALATEA.

[E]rgo tuum nobis sit qui formosior, eia,
Monstra, & qui melius voce lyraq; canat.

DORIS.

Nullum habeo, fateor, nec eo me nomine iacto,
Ac si sim multis sollicitata viris.
At verò talem, qualis Polyphemus, amantem,
Totus qui saniem, totus vt hircus, olet,
Quique infelices funesta ad littora pulsos,
Devorat, hunc habeas, hunc adamesq́ tibi.

Talia sunt, Nymphas retulit quæ fama marinas
Multa per alternas dicta dedisse viceis.
Quid iam, quid cæcũ non posse putemus Amorem?
Te quoque formosum si Polypheme facit?

Dialogus

POLYPHEMI & NEPTVNI,

partim ex Homero, partim ex Luciano desumptus.

ORbatus charo Polyphemus lumine quondam
Dũ cuncta in tenebras sentit abisse nigras,
Littus, oveis, sese, montem, mare, denique flãmas,
Ipsaque luciflui plaustra corusca Dei,
Flebilis obscurâ titubans errabat in Aethnâ,
Incusans homines, sidera, Fata, Deos.
Annosam tandem pinum tellure revellit,
Ad mare vicinum quâ duce tentat iter.

Iamque

...iq; propinquat, & id madido pede deniq; sentit,
Mox oculum liquidis sanguine purgat aquis.
Murmura Neptunus quum fortè in fluctibus imis
Audijt, & moto protulit amne caput.
At verò Natum extincto dum lumine cernit,
Exclamans Genitor littora dira petit:
Protinus agnoscens Polyphemus voce parentem,
Sic sua cum gemitu tristia fata refert.

POLYPHEMVS.

O, mihi nequicquam Pater, ô, mihi sæpè vocate,
Hospite ab infando quæ modò damna tuli?
Qui mihi fallacis propinans munera Bacchi,
Præripuit sensus præripuitq́; pedes:
Donec in obscuris positâ cervice cavernis
Prostratus, somno languida membra dedi.
Hic me crudelis vina inter iniqua sepultum
Furtim adit, atq; oculũ, heu, vecte mihi terebrat.

NEPTVNVS.

Quis verò, taleis potuit qui sumere pœnas
Quisve ausus tantũ est, heu, Polypheme nefas?

POLYPHEMVS.

Esse sibi nomen, Nemo, mihi dicere primum:
Ast vbi cæruleas nave secabat aquas,
Iamque procul nostris fertur securus ab oris,
Et nullos arcus, spicula nulla timet:

Tum demum insultans, ter se iactavit Vlyssem,
Et dedit hæc nostris ultima dicta malis:
Siccine debueras socios, ô, perfide Cyclops,
Dentibus imbellis dilacerasse viri?
Si neque nos, neque mortaleis scelerate timebas.
Debebas superos at metuisse Deos,
Debebas metuisse Iovem, qui cuncta videbat,
Præsens hospitibus qui favet usque suis.
Ergo tibi fluidi putrescet luminis orbis,
Et fiet corvis forsitan esca nigris.
Sic meruit lusisse Iovem Neptunie, nunc i,
Crede tuum quidquam præ Iove posse patrem.
Talia dum iactat magno temerarius ausu,
Improperatque eadem non semel ille mihi,
Ira subit mentem, partemque cacuminis alti
Avello, extremis ultima tela malis:
Et quum te genitor supplex in vota vocassem,
Vt regeres ventis pondera missa tuis,
Ad sonitum vocis corpusque & brachia torquens,
Mandavi rapidis saxea tela Notis:
Arrectusque diu stabam, post tempora longa
Quum dedit ingentem gleba relapsa sonum:
Et quantum audire è trepidorum voce licebat,
Navem sub tumidas pondus agebat aquas.

NEPTVNVS.

Iam scio: quem dicas: nimirum Ithacesius ille est,
Qui modo ab Iliacâ navigat vrbe domum.

Sed

Sed quînam potuit, quînam hoc est ausus Vlysses?
Iampridem timidum quem mihi fama refert?

POLYPHEMVS.

Iam saturis ovibus, viridantia prata relinquens,
Ducebam niveum post mea terga gregem,
More meoque ibam nota, eheu, pronus in antra,
Conscia tam miseri non priùs antra mali:
Quum subitò apparet multorum turba virorum,
Quid? nisi divitijs insidiata meis?
Heic ego mox aditum, ne quisquam evadere posset,
Claudebam, tacita gaudia mente fovens:
Namque mihi taleis olim servatur in usus
Maxima, non ullis petra movenda viris.
Inde ornum flammis duram crepitantibus uro,
Aethna revertenti quam mihi fortè dabat.
Tum verò metuens, tentati & conscia furti
Visa sibi est latebras quærere turba nocens.
Corripui quosdam: nam quid nî? nempe latrones,
Et data sunt stomacho corpora pauca meo:
Quique sibi nostras prædam Neptune futuras
Crediderant pecudes, præda fuêre mihi.
Protinus hic, seu nemo fuit, seu dirus Vlysses,
Cœpit versutos mente agitare dolos:
Et mihi, nigrantis falsâ sub imagine vini
Nescio quæ misero pharmaca mixta dedit:
Pharmaca grata quidē, fragrantia, dulcia: verùm
O, pater, insidijs pharmaca plena malis.

Vix summo tetigi labro, & iam cuncta rotabant,
Imaq; pars antri visa suprema fuit.
Quid multis? solitâ spoliatum mente iacebat
Corpus, & exanimis iam mihi visus eram:
Quum volucer Stygijs allapsus somnus ab undis
Percussit ramo tempus utrumque suo.
Non procul à mulctrâ viridis mihi fortè iacebat
Nuper in exitium clava resecta meum.
Hanc illi incidunt, minimâ sibi parte retentâ,
Atque acuunt magnâ sedulitate simul:
Mox etiam vectem flammæ involvêre relictæ,
Et penitùs nobis ignea tela parant.
Sic illi ignitum multo molimine fustem
Intorquent oculo terq; quaterq; meo:
Donec inaudito ligni stridore præusti
Excîtus, manibus tela revello meis.
Sic tibi, chare Parens, nimirum tempore ab illo
Lumine privatum iam Polyphemon habes.

NEPTVNVS.

O, quàm Lethæus penitus tua pectora somnus
Presserat? vt taleis dum struit ille dolos,
Dum vectem magno molimine circumvolvit,
Dumq; in summo oculi cortice totus erat,
Non vel tum somno fueris turbatus ab alto?
Iam tulerat ceptis præmia digna suis.
Quanquam non video quo pacto evaserit antrum
Impius, & denteis mi Polypheme tuos.

Haud

Haud etenim immanē petram ille removit, opinor,
Quam memini vireis exſuperare meas.

POLYPHEMVS.

Ipſe ego, ſeu demens, ſeu ſic mea fata volebant,
Amovi iratis pondera vaſta Deis.
Sic ratus, vt, noſtris cupiens exire cavernis,
Incideret digitis obvia præda meis.
Ergo, foreis iuxta, manibus venabar apertis,
Sed non auſpicijs Delia magna tuis.
Interea pecudes nullo paſtore vaganteis
Carpere per valleis pabula grata ſino:
Sic, heu, ſic dicens, aries mea prima voluptas
Tu ſubeas Domini munia nota tui.

NEPTVNVS.

Mirum ní pecoris latitans ſub vellere denſo
Illuſit cæco turba doloſa viro.
At tu debueras fidos vocitaſſe ſodaleis,
Quos alios centum, littora curva tenent.

POLYPHEMVS.

Id feci, & notis ſubito clamoribus acta
Venit in auxilium turba parata meum.
At poſtquam inſidias quisnam ſtruxiſſet iniquas,
Et cuperent tanti nomina noſſe viri,
Atque ego dixiſſem, Nemo mihi talia ſtruxit,
Nemo fuit, Nemo qui mala tanta dedit.

Correptum insolito miserum rata turba furore,
Illusit nostris insuper ipsa malis:
Atque abiit, fratremq́ suum malè liquit inultum:
Nomine sic lusit me, Pater, ille suo.
Et, malè præ cunctis quod adhuc præcordia mordet,
Vt tenuit medias iam sceleratus aquas,
Multa mihi improperans, illud post cætera dixit:
Non te sanabit vel Pater ipse tuus.

NEPTVNVS.

Forti animo fac Nate feras: ego lumen ademptum
Quamvis non possum restituisse tibi,
Vel servare tamen pelago vel perdere nanteis,
Arbitrium faxo me penes esse sciat.

Sic questum quondam Natum festiva vetustas
Tradidit, & contra sic retulisse Patrem.
Qui talis, qui tantus erat qui mersit in alvum
Efferus omnigenum milia multa hominum.
Qui Natus Neptune tuus, qui denique centum
Fratribus indomitis sævior unus erat,
Non potuit superare dolos unius Vlyßis:
Non potuit vireis vincere Bacche tuas.

Ex Anacreonte.

NOn est cura Gygis mihi, qui rex imperat agris
Sardiniis, non me argentum, non gemma, nec aurum
Detentat: non invideo sua regna Tyrannis.

Cura

Cura est, unguento fluat vt mihi barba fragranti;
Cura, vt odoriferis cingam mea tempora sertis;
Curæ sunt dubiæ tantum præsentia vitæ
Tēpora, curæ hodierna mihi: quis crastina nāque
Novit, quisve sibi promittere crastina possit?
Heus ergo, heus agedū, calicē mihi cudito iā nūc
Argento benè tornato, Vulcane: sed amplum,
Atque novum, & Bacchi quantū potes, eia, capacē:
Inq; hoc non currus, non tristia sidera sculpe;
Non hunc crudelis, non ambiat udus Orion:
Sed viteis mihi fac virideis, ipsumque Lyæum,
Et Charites, blandā & Venerē, Venerisq; Puellum.

In Neronem.

T*Arpeiâ ferus arce Nero subsidere vidit*
Vrbis opes magnæ, populantibus omnia flāmis.
Clamantum dolor unus erat iuvenumque senumq;
Solus at hic, nullo rerum discrimine mœstus,
Aures atque oculos ululatu pavit & igni.

Ad Lucium Angelum Andream Resendium, Monachum & Poëtam.

R*Ebus in adversis animosus frange superbæ*
IuraDeæ, domināq; rotam, quæ singula versat,
Stare loco impatiens: spera benè. forsitan astro
Adveniet grata hora suo, nec lenta moratur,
Quum te cornutâ cinctum sacra tempora mitrâ
Sublimem, sortis meminisse iuvabit acerbæ.

In laudem Andreæ Alciati, quum vrbem Bitturicensem procul adveniens primum adspiceret.

BItturigum turres & mœnia sacra Camœnis
Salvete ex alio nobis procul orbe petita.
Magnus vbi Alciatus, tanto post tempore, primus
Musarum fidibus artis decreta severæ
Aptat, & antiquo revocatur vita Soloni.

Ad Marcum Antonium Caimum.

MActe novis animis, sic itur ad ardua cœli,
Digne domo nec frustra adytis admisse repostis
Alciati magni: tu nunc eris altera fama
Gymnasii, quod nomen habet seu quâ levat undis
Sol currum, seu quâ tingit fumantia lora.
Ergo tuis insiste vijs, Caime diserte,
Exemplumq; novum tanti tueare magistri,
Romanas leges Romano qui ore recepit
Oblitas iam pœnè (nefas) sermonis aviti:
Primus & externâ longè de gente reduxit,
Exilium patriæ perpessas mille per annos
Barbariâ in fœdâ, & natalibus intulit arvis
Antiqui Latij, dominâq; locavit in vrbe.

Ad Ianum.

IAne biceps anni tacitè labentis imago,
Postquā omnem Cæsar sub iura redegerit orbem
Claude

Claude tui portas templi, Pax aurea mundo
Surgat, & auspicijs paribus cùm Cæsare regnet.

Amorem esse immedicabilem.

QVum geminâ sanetur ope quodcunq; malorũ est,
Solus Amor carmenq; sacrum contemnit & herbas.

Disticha quædam in eandem ferè sententiam.

[Quid gemitus murmurve sylvarum ventis excussum significet.]

QVid concussa sonant tremulis arbusta susurris?
Quod spatium pictæ tã breve frondis habẽt.

2.

Aspirant Zephyri murmur lachrymabile sylvis,
Vt plorent viridis tempora fluxa comæ.

3.

Quid lachrymosa gemit concußis frondibus arbor?
Tempora frondosi pauca capillitij.

4.

Couqueritur patulæ periturum frondis honorem
Garrula collisis sylva cacúminibus.

5.

Triste susurrantes arguto murmure sylvæ,
Arsuras celeri sole queruntur opes.

6.

Arguto madidæ turbantur flamine ſylvæ,
Tam citò caſuras dum lachrymantur opes.

7.

Vt citò lapſuras frondeis nemora alta querantur,
Dant mæſta argutis murmura de folijs.

8.

Tam citò ſe picti ſpoliandam veris honore
Sylva gemit, querulo flamine mota comam.

9.

Tempora fluxa ſui ſuſpirat ſylva viroris,
Mota ſuſurranti flebilis à Zephyro.

[Hæc ad Autumnum pertinent.]

10.

TAm citò lãguenteis queritur flaveſcere frõdeis
Sylva gemeſcenteis turbine mota comas.

11.

Imbre madens, ventoq́ ſonans, ſub ſidere triſti
Sylva gemit, raptas & lachrymatur opes.

[In ortum diei.]

12.

IAm tenebræ Heſperias nigræ conduntur in oras,
Flavet ab Eoa parte revecta dies.

13.

Cogitur Heſperias cœli nox omnis in oras,
Surgit ab Eoo limine flava dies.

14.

Clara dies aderat, fugiunt tenebræque ſoporque.
Et pavor, & dubio ſomnia vana gradu.

Fragmenta quædam, inter chartas Auctoris inventa.

De Sole.

Fons rerum, Sol cœlivagus, cui plurimus ora
Fulgor, & intonſos crineis flavedine veſtit,
Telluris magnæ ſpeculator, & inſtaurator,
Et ductor totiens in ſe revolubilis Anni.

De rerum, ac temporum, ſive cœli viciſsitudine.

Foeta bonis, & fœta malis nova parturit hora
Sēper, & aſsiduè dando nova, quæ dedit aufert.
Vſus in anguſto eſt, præſentia carpite vitæ
Tempora; deſtituunt iam nos fugitiva: nec eſt ſors
Vlla, reviſendi cuncta iiſdem in ſedibus aſtra,
In quibus heſternâ poſuêre cubilia lunâ.

De Saturno.

Falx gelidi funeſta ſenis, pecorique, ſatiſque
Et miſeris infeſta viris, infeſta volantum
Tractibus aëriis, fuſæque per æquora turbæ.

Fragmen-

Fragmentum, ſive initium potius maioris concepti operis. Videtur autem deſcripturus fuiſſe Tunetęum bellum.

RVrſus bella parat Cæſar, patientia rurſus
Manſueti Iuvenis longo devicta dolore eſt,
Et violata gravem pietas erumpit in iram
Fervere iam video denſis maria omnia ramis,
Telluremq́ armis, cœlum ſplendeſcere flammâ:
Quid tantum Fortuna paras? cui fata minantur
Tam dirum excidium? quantove cruore redēptam
Aeternam Furiæ pacem conceditis orbi?

Aliud, In laudem utriuſque Cupidinis: & ipſum quoque maioris operis initium, vt apparet.

IMberbes Pueri, Veneris ſanctiſsima proles,
Ambo ætate pares, autores fœderis ambo,
Ambo arcu, pharetraq́ ambo, iaculiſq́ decori,
Crinibus inſignes flavis & corpore nudo:
Quorum hunc, ſylvarum ſub ramis Elyſiarum,
Vallibus in riguis enixa eſt mater: at illum
Flammanteis inter fornaces edidit Aethnæ:
Veſtra ego regna cano: cantanti aſsiſtite vati.
Nec cytharam ſi fortè mihi, puerilibus auſis,
Ereptam manibus, dubio pulſabitis ictu,
Increpitans indignabor, vos pſallere laudes
Fas ô ſit, veſtras: nec erunt mihi veſtra pudori
Carmina: ſed nec erit vobis mea Muſa pudori,
Qualia vos canitis, & ego quoque talia canto
Ore tener parvo: poteruntq́ admixta camœnis

Veſtra

Vestra meis, aures incautæ fallere plebis.
Post Chaos, & veterũ discordia semina rerum,
Omnia quæq; utero gravidæ Telluris aluntur,
Quæq; super vastâ discurrunt ætheris orã,
Quæque meant subter versi per devia mundi,
Quæ videt exoriens, & quæ videt occiduus Sol,
Quæq; quatit Boreas, & quæ rigat humidus Au-
AEterno consensu, & dulci pace ligantur, (ster,
Longumque unanimi solantur amore laborem.
Ni facerent, Tellus imbri pulsata negaret
Condere visceribus fœcunda munera lymphæ.
Illa graveis sylvas, monteisque, & grandia saxa
Excuteret tergo impatiens, emotaque ab imis
Sedibus eijceret longè freta, & impia canus
Coniugis omniparæ fleret divortia Nereus.
Bruma recusaret iucundo cedere Veri.
Verque sub AEstates tepidum produceret annum.
AEstas Autumnum fraudaret mitibus uvis.
Autumnus glaciem pro miti redderet uvã.
Omnia funestis irent in prælia signis.
Ipsa etiam, longi subitò pertæsa laboris,
Confusis irent facibus sine legibus astra.
Cynthia fraterni currus ambiret honorem:
Germanæ cuperet nocturnas scandere bigas
Phœbus, & exiguum decurrere mobilis annum.
Imaque Saturnus peteret cum falce minaci
Limina facundi Iuvenis: Deus Arcas in altum
Tenderet, algentemque senis perrumperet orbem.

Abijceret clypeum Mavors, oculosque remittens
Fulmineos, hebeti palleret degener igne,
Otia præponens animoso languida bello.
Arma Venus tenerâ tractaret Martia dextrâ,
Ipsumque AEthnæo spoliaret fulmine Patrem.
Alma parens laceris gemeret Natura capillis:
Atque opus ipsa suum, seque ipsa resolveret in se.

Ex Epistola Auctoris ad Hadrianum Marium fratrem.

SOlet in campum habitationi nostræ vicinum cum proceribus suis sæpenumerò prodire Cæsar, ac se suosque omnis generis equestribus ludis exercere.

Nunc torto simulat simum diademate Maurum,
Nunc Mahumetanæ gentis, memor, induit arma,
Doctus equo profugos volucri prævertere Parthos,
Vulnera missilibus longè serit irrita cannis
Arduus, inque iubâ fugiens incurvus anhelat.
Illum omnes unum Dryades, & Oreades omnes,
Illum suspirant liquidæ per flumina Nymphæ,
Occultaque stupet innixus ab arbore Faunus.

FINIS.

Nota.

LIBRI SECVNDI

ELEGIA IX.

Cui in Archetypo adscriptum erat ipsius Poetæ manu,

ELEGIA AD EXPELLENDVM SOMNVM PVELLÆ MECVM CVBANTI,

Versibus aliquot auctior, ita reponatur.

Somne, tenebrosæ necis ignavissime frater,
Et tantùm vanis dulcis imaginibus,
Parce meæ Dominæ natitanteis claudere ocellos,
Noctis promissæ dum brevis hora fluit.
Pacta mihi est, non, Somne, tibi: Cur improbe pēnis
Subrepens tacitis in bona nostra volas?
Desine, si pudor est, onerare amplexibus atris
Membra Pyrenæâ candidiora nive.
Te sibi, deserto ducens suspiria lecto,
Noctibus in viduis multa puella vocat.
Te vocat enervis coniux formosa mariti
Plurima, & instanti gaudia nulla negat.
Túne obscura putas tua, lascivissime, furta,
Immunis quorum nulla puella fuit?
Parva licet matris charis indormiat ulnis,
Et rudis, & nulli contemerata viro:
Te tamen experta est resolutis ægra medullis,
Et frustra matris muta vocavit opem.

 Cun-

Cuncta patent tibi, Somne, cubilia formosarum:
  Nocte brevi vigilet, scilicet, una mihi.
Ipsa negat tibi se, cubitoq; innixa supino
  Erigitur, nostrum labitur inque sinum.
Sed rursum nitidos oculos devicta remittit,
  Fractaque anhelanteis vox cadit in gemitus.
Quid faciã, mea Lux? quo te medicamine tangã,
  Vt sopor iste tuo defluat ex animo?
Nam neque subducam lapsuro brachia collo,
  Nec tibi stridenti voce molestus ero,
Nec digitis vellam digitos tibi, nec pede duro
  Vrgebo suras, marmoreumque pedem:
Vda papavereo detergam lumina succo,
  Sive meis oculis, seu magis ore meo:
Inque tuum mœstus flectam suspiria nomen,
  Mussabo magicis carmina lecta sonis,
Quæ mihi, Thessalici quondam doctissima ritûs,
  Nocte relucenti commemorabat anus,
Cùm me, custodes calcans secura iacenteis,
  Virginis intactum detulit in thalamum.
Phryxæam vigilans servabat bellua lanam:
  Servabat vigilans aurea mala draco.
Tu quoque, fac vigiles, iuvenẽ complexa virentem,
  Delicias rapiat ne qua puella tuas.
Somnus abit, sensi; leviori pectus amatum
  Iam gravat illa mihi pondere, somnus abit.
Iam fas est maiore sono cantare, novumq;
  Mittere reclusas carmen in auriculas.

Non-

Nondum Luna teres tetigit fastigia cœli
  Ardua, fraternis dißita luminibus.
Tu tamen (ah) pigro iamdudum immortua somno,
  Turpe toro pondus, me vigilante, iaces.
Nil agimus, iam se dedet secura quieti,
  Norit ubi roseum tam procul esse diem.
Hospitis Oceani spumosa cubilia linquit
  Phœbus, & ardenteis in iuga cogit equos:
Sidit Athlantæas Phæbi germana sub undas,
  Obtundunt aciem sidera victa suam,
Terq; dedit lucis signum cristata volucris:
  Tu tamen aßiduo pressa sopore iaces.
Uxores iaceant sic, deformesq; puellæ,
  Quæque parant laßis tædia fœda viris,
Tu mecum longâ ludas, licet, ô mea, nocte,
  Et mecum longâ deliciosa die,
Inclinata sopor nunquam mea lumina solvet,
  Qui dormit, secum non habet ille suam.
O, nunc, ô, vigiles, illud ne protinus addam,
  Quæ dormit, secum non habet illa suum.
Hoc non admittes in te, dulcißima, crimen,
  Somnus iucundis iam fluet ex oculis.
En! niveo lapsos formavit pollice crineis,
  Lumina permulsit semireclusa manu,
Et mihi basiolum strinxit trepidante labello,
  Quale viro in somnis nulla puella tulit.
Iam dormisse decet, iam te formosior ipsa es,
  Mollior ex oculis iam tibi flamma venit.

Sic, ubi nocturnos rupit Tithonia somnos,
Purpureum flavo fundit ab ore decus;
Sic nitet ambiguo Titan gratissimus ore,
Cùm se non totum nubibus exeruit.
Talia per densos myrti Latonia ramos
Deÿcit in tremuli lumina fontis aquam.
Nunc licet intonsi veniat sub imagine Phœbi
Somnus, Athlantiadis vel gerat ora Dei,
Exemplove Iovis, liquido nitidissimus auro
Diffluat, aut niveo tectus olore gemat:
Spernet Apollineos præ me Venerilla capillos,
Mercuriÿq; genas, Mercuriÿque lyram,
Excludet gremio croceæ ludibria guttæ,
Et frustra ad thalamos dulce queretur olor.

IOAN.

IOAN. SECVNDI

EPISTOLARVM RELIQVIAE;

Quas in itinere Hispanico, aut circa illud, in procinctu cùm esset, scripsit.

Ingeniosiss. ornatiss. q́ꝫ viro

D. IOANNI SCORELLIO, CANONICO

D. Mariæ Traiectensis, D. & amico observandiss.

TRAIECTI.

S P. Domine & amice charissime. Cùm brevi mihi in Hispaniam ad fratrem Nicolaum eundum esset, rediretq́ue ad vos D. Stephanus Montanus, communis amicus; omnino mihi aliquid ad te scribendum, tibiq́ue parvo epistolio valedicen-

cendum putavi. Nam præterquam quod te mei ſtudioſiſſimum & præſens cùm hîc eſſes expertus ſum, & ex multorum relatu intellexi, cogor te, etiam ſi ignotus mihi eſſes, venerari; ducitque me in tui amorem præclarum iſtud ingenium tuum, induſtriaque, quâ reliquos huius regionis artifices longè antecellis. Ego verò hac cum naturâ tuâ aliquid mihi commune eſſe, non timebo dicere. Illud videlicet, QVOD HAS FINGENDI PINGENDIQVE ARTES ARCANO QVODAM NATVRÆ IVSSV SEMPER AMPLEXVS SIM, ET ADMIRATVS. cui iuvenili levitate aliquem SCVLPENDI VSVM auſus ſum adiungere. Qua in re cùm acutiſſimo iudicio tuo non nimis infœliciter verſari me intellexerim, progreſſus ſum in luſu (meâ quidem ſententiâ) non inſuavi. Vt autem videas an aliquid profecerim, mitto tibi effigiem Archiepiſcopi Panormitani, proximis hiſce diebus à me ſculptam. Rogo, ſincerè iudices. Vix enim inducor ut credam iudicium, quod de IVLIÆ imagine proferebas, fuiſſe incorruptum. Fortè, quemadmodum illa meos oculos, ita tuos eius imago faſcinaverat.

Scio te,

Scio te, charissime Domine, familiariter uti Domino de Nassau. Quoniam autem in Hispaniam eo, ubi & ille brevi futurus est, maximè è re meâ foret, si in tanti tamque boni Principis benevolentiam aliquomodo essem insinuatus. Quod si ita ferat oportunitas, summoperè te rogaverim, ut me illi commodè captatâ occasione, sive per literas; sive, si te ad illum venire contingat, præsens præsenti commendes. Gravissima autem commendatio ex Patris mei personâ sumi poterit, quem ille vehementer amabat. Facturus mihi rem es longè gratissimam, meque tibi mirificè adstringes. Benè vale. Mechliniæ, VIII. Maij, 1533.

Observantiss. tui, tibiq; addictiss.

IOANNES SECVNDVS Hagensis.

Io. Secundus Hadriano fratri.

MACHLINIÆ.

SOlam hanc * Elegiam tibi nunc mitto, Frater optime, quam libello de IVLIA conscripto aliquando statui inserere. Præter eam nunc nihil accipies. Ita culpam tuam

expiabo, quam Epiſcopo Londenſe iſtinc ſine literis tuis dimiſſo commiſiſti. Succeſſus meos Everardo fratri perſcripſi. Vtinam ſimilem habeat exitum, id quod tu minimè quidem inconſultè cogitas. Ignoſce, ſi quid invenies in hac Elegiâ tumultuoſum. Inter equitandum his diebus maiori ex parte effuſa eſt. Tu, qui quieſcis, emollire eam ſedatioremque reddere, ſi potes, elabora quæſo. Nihil enim æquè faſtidio ac recognitionem carminum meorum. Secoviæ, III. Iunij, 1534.

* *Innuit Elegiam, cuius initium:*

Cùm nova naſcenti nerent mihi fata Sorores, &c.

Quæ IVLIÆ, *ſive Elegiarum libri primi, ſecunda eſt.*

Ad Petrum Clericum.

MACHLINIÆ.

AMiciſſime Petre. Sumus hîc in celeberrimâ civitate, ſumus in ſodalitio doctiſſimorum virorum; neque auribus, neque oculis deeſt, quo poſſint delectari: & ſumus tamen inviti. Nemo hoc credat aliorum, fortaſſe nec tu credas, qui conſcius tamen es ardoris noſtri. Sed abceſſit illa.

quid?

quid tum ? reſtant veſtigia ; & propinquior aliquanto iſtîc illi futurus ſim; aut ſi ridicula hæc putas, vel eâ cauſâ iſtuc (Machliniã) recurrere cupiam, ut aliâ aliquâ in animum noſtrum admiſsâ hæc expellatur, quando aliam viam non video : quamquam dubito,

An calor hic [a] alias poſsit ſibi quærere ſedes.
Hactenus hunc certè Iulia ſola tenet.
Candida quantumvis, & non deformior illa,
Et verſatilibus ebria luminibus.
Sæpè meos oculos in ſe [b] vicina moretur,
Oſcula quæ facilis ad mea ſponte venit.

Cupio ſcire, quomodo Nuptiæ ceſſerint, & an præter lugubrem cœli faciem nihil paſſæ ſint funeſtum; & an illud, IO PÆAN, Nuptiarum die non cecineris : denique, quò tuos amores tranſtuleris. Mitto Elegiam, quam in itinere in ipſâ illâ tempeſtate compoſui. Meminiſſe potes, dixiſſe te aliquando Nuptiarum diem fortè ſuppeditaturum novæ Elegiæ materiam. Sic factum eſt. [Elegia VIII.]

Ergo dies venit, quâ ſe formoſa mariti
Dedet in æternum Iulia ſervitium ? &c.

In alijs Elegijs quædam mutavi. Veluti illud: (Eleg. VII. lib. I.)

Et laceranda nigræ membra relinquat avi.

Pro quo ſubſtitui:

Multaque proiecti viſcera carpat avis.

Et illud: (Eleg. ead.)

Non aliquis duro tenuit cuſtode puellam.

Interpolavi ad hunc modum:

Anxia non tenuit cuſtodis cura puellam.

Salutat te Hadrianus, & Nicolaus. Benè vale. Bruxellæ, pręproperè.

Tuus Ioannes.

a *alid poſsit conſiſtere ſede,* Ita in excuſis eſt legere. Sed utraque ſcriptura in archetypo legebatur.

b *Vicina moretur.* pro *vicina* editur vulgò *Domitilla.* Porro ad eundem Petrum Clericum eiuſdem prorſus argumenti Elegia legitur,

Petre ſodalitij pars ſinceriſsima noſtri. &c.

quæ eſt nona libri primi, cui titulus IVLIA.

De-

Describebam has Epistolas partim ex ipsius Auctoris archetypo, partim ex apographo nobilissimi Dousæ patris, amici (heu, quondam) nostri, singularis benivolentię & constantiæ,

P. SCRIVERIVS.

NIHIL INVITA MINERVA.



LVGDVNI BATAVORVM,

---

cIↄ Iↄ c XIX.

